




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
345 H 21 [1]






Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
345 H 21 [1]





Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
345 H 21 [1]





Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
345 H 21 [1]





























LIBERTY
CIVIL

LIBERTY
CIVIL



493302.

KW 345

IACOBI REVII
S. S. Theol. Doct.

LIBERTAS CHRISTIANA

H 21

CIRCA USUM CAPILLITII
DEFENSA;

D

Q V A

Sex ejusdem Disputationes de Comâ
ab exceptionibus viri cujusdam docti
vindicanur.

*Accedunt eadem Disputationes, & Appro-
batio Rev. Facultatis Theologicae
Leydensis.*



ARDVA QVÆ PVLCHRA

Lugduni Batavorum

Ex officina ADRIANI VVYNGAERDEN

C L D L D C XLVII

1522

INSTITUTIONS PATRIALES
DE LA VILLE DE BRUXELLES



D.S.

SCH

Part. B.
Jus in
Viam

Konink
Bib.



*Nobilissimo, Amplissimo, & Stre-
nuissimo Domino,*

D. SALOMONI

à

SCHOONHOVEN,

*Ruardo, Balivo, & supremo aggerum pre-
fecto in Putten, opidi Geervlietani
Prætori, salutem à salutis auctore.*

*Nobilissime & Amplissime
Domine,*

Nihil mihi unquam magis
præter animi sententiam
accidit, quam quod bello
capillari, quod veluti Τει-
λατόν τι κακόν toto sem-
per pectore detestatus sum, ipse fuerim
intricatus. Verum divinitus me eo, & qui-
dem (ut spero) cum aliquo ecclesie bono,
protractum fuisse ut credam, non levibus
argumentis ducor. Occasionem rei dede-
runt literæ viri cujusdam eximii, & in ci-

A 2

Vil's

vili dignitate constituti, quibus is dum in
urbe ubi commorabatur fervet hoc nego-
cium, sollicitavit me, ut quid mihi de eo ar-
gumento videretur scripto consignarem ac
publici juris facerē. negavi id ἀποτόμως,
& ad consilium Cl. D. Polyandri τῆ μα-
καρίτη (quod tum commodum prodierat)
hominem rejeci, id mihi ea moderatione
ac prudentia scriptum videri innuens, ut
irritati, si forte, quorundam animi eo per-
lecto mitigari, & res tota maturo silentio
(quod unicum huic malo remedium esse
censerem) componi ac sepeliri posset.
Non multo post, & disquisitionibus Aca-
demicis, & concione vernaculo idiomate
emissa, certamen instauratum vidi. Id
quod me à priori sententia nonnihil ab-
duxit, ac permovit ad causam hanc sal-
tem in peculiare meos usus accuratius cog-
noscendam. Percurri itaque quaecunque de
ea ultro citroque scripta ad manus meas
pervenerant, & quid mihi de iis videretur
in Disputationes aliquot conjeci, quas dis-
cipulis meis publicā συζήτησει defenden-
das dedi, idque ne qui ex eis ecclesiarum
guber-

gubernaculis admoventur (quorum per
Dei gratiam insignis proventus est) vel ipsi
hiscē καποτοπιαις irretirentur, vel com-
missas sibi animas per imprudentiam eis
illaquearent. Disputationes illas convellen-
das sibi sumsit vir quidam doctus (qui pe-
nè unam totam illius belli molem hodie su-
stinet) sed ita, ut, quod pace illius dixe-
rim, tergiversationibus quam aperto Mar-
te rem gerere praeferat. Nam & suas
passim opiniones occultat, & alienas incru-
stat, & dimidium causa, id est negotium
capilli muliebris, in quo maximè tragœdiæ
ab iis quos tuendos sibi putavit, fuerunt ex-
citata, intactum relinquit. laudandus certe,
si ingenue ac palam (quod in animo suo
eum facere arbitror) ejus errores repudiare,
quam tacitus dissimulare maluisset. Inte-
rim, tanti momenti expugnata arce, de in-
tegra victoria quam optime sperare debe-
mus, ad quam consequendam contendit hic
meus labor. Quem qui putaverit in re ni-
hili occupari (ut sunt fastidiosa hominum
ingenia) n. e. is haud mecum sentit. Ea enim
buiç cause, ab ejus auctoribus, subiecta fue-

23

runt

runt fundamenta, quibus semel admissis
nec modus nec finis erit scrupulorum. quod
tum demum sentiet ecclesia (advertat omen
Deus) cum quomodo eis medeatur ratio-
nem non inveniet. De pilis ergo hic mini-
mum certamen est, de jure divino & hu-
mano, naturali, gentium, de necessariis
& indifferentibus, præceptis & consiliis,
atque aliis rebus maximi ponderis occasio-
ne quæstionis levissimæ conflictamur, quæ
quam late se extendant norunt qui in rebus
Theologicis sensus subactos habent. ut
manifesto hic videre sit כהררין תלוין
בשערה sicut montes pendentes è pi-
lo. quod adagii vice Iudaorum Rabbini
usurpari solet. Ne jam dicam, maximam
quoque cautionem esse, ne nostra culpa vera
religio sannis & ludibriis hostium suorum
exponatur, id quod hic periculo non caret.
Jam enim Romam pervenit rumor illius
dogmatis, ac novæ hereseos nomine ibi
traducitur, quod facile prolatis quæ illinc
scripta sunt literis, lectorum oculis subji-
cem, nisi vulneris sanandi quam scindendæ
consilium mihi potius videretur. Auctorem
illum

illum quocum ago, & reliquos eidem cause
affines hoc unum precor, ut sicubi de-
prehenderint (deprebensuros autem reor)
se vel errasse in iudicando, vel in agendo
modum non tenuisse (utrumque autem hu-
manum est) retrorsum vela dare malint,
quam sese ac alios ingrato hoc litigio inu-
tiliter, καὶ ἐκ ἐπὶ ἀγαθῶν τῆ ἐκκλησίας ul-
terius fatigare.

Tibi porro, Vir Nobilissime & Am-
plissime, hoc qualequale est opusculum in-
scribendum putavi, eo fine, ut animi hu-
manitatis tue ac aliarum virtutum memo-
ris, aliquod extaret monumentum. Mira-
tus sum, cum istic essem, in tanta fortuna
tantam modestiam, in florenti illo & ve-
geta etate tantam prudentiam, in illo dig-
nitatum cumulo tantam erga quosvis be-
nevolentiam: Et, quod hoc tempore rarius
est, pietatis illum affectum, & erga eccle-
siam Dei ferventissimum amorem. cuius
insigne hoc specimen non possum non sum-
ma commendatione prosequi, cum circa
generi mei Iobi Steenwijckii vocationem
ad ecclesie Geervlietanae regimen, tanta

sum

cum cura inquisivisti in ecclesiarum praxin
& ordinem, nequid adversus eum commit-
teretur studiose cavens. ita ut de ecclesie
divinitus concesso jure te magis sollicitum
esse animadverterim, quam alii de suis
usurpationibus, cum sacrosancti ministerii
detrimento, esse solent. Maacte hoc animo,
bac solida & vera laude, Vir Amplissime
& Nobilissime, & ab illo qui honorantes
se honorat cumulatissimam mercedem ex-
pecta. Lugd. Bat. prid. Kal. MART.
Anno ære Christianæ c l o l o c x l v i i .

T. N. & A. addictissimus

IACOBVS REVIVS,

S. S. Theol. Doct. Re-
gens Colleg. Theolog.
Lugd. Bat.

IACOBI

IACOBI REVII
 LIBERTAS CHRISTIANA
 circa usum capillitij
 defensa.

CAPUT PRIMUM.

Status questionis ventilatus. Ad solos capillos viriles à viro docto restrictus. Recte à me, perperam, quoad modum loquendi à Poimenandro propositus. A quo in eodem formando discrepat vir doctus. Res ipsa, ut est apud Poimenandrum, à me expressa. Quod nec ipse Poimenander diffitetur. An liceat terminum figere, ubi Deus nullum fixit? An per terminum à Poimenandro fixum conscientis consulatur? A quo orta sit controversia capillaris? Quinam sententiam Poimenandri sequantur? Quid per se, quid intrinsece malum? Locus I. Cor. II. 14. 15. in hac controversia non tantum palmaris, sed unicus.

Auctor Questionum textualium ad I. Cor, II. 14. 15. **B** parte

parte 3. ubi meas de Coma Disputationes ad partes vocat, primo me male statum quæstionis, *quantum ad capillos viriles*, de quibus (inquit) agimus, ait proponere. ubi primum quæro, an statum controversiæ recte à me formatum concedat *quantum ad capillos muliebres attinet?* id enim velle videtur, cum *δύρατικῶς* se de coma virili, quod dicit, intelligere significat: quod si ita est, gratulor mihi viri docti hac saltem in parte assensum. sin minus, & *nunc* se tantum de virilibus agere, non de muliebribus, ideo se de hisce in neutram partem pronunciare velle innuit, fateor ejus verba eum sensum ferre posse, ipse se quando placuerit explicabit. Videamus ergo quid jure requirere possit in statu controversiæ à me posito quantum ad capillos viriles. Verba mea ita habent Disp. 1. thes. 2. *Verum orta est non ita pridem controversia: An coma virilis prolixior quam ad cranium contegendum, item pars coma muliebris juxta genas dependens, per se & natura sua sit illicita.* Quid in hisce requiratur, indagemus. Primum est, quod nec synodi nostrates, nec Cl. Voetius, nec ipse nec Borstius id asseruerint. quid? an ideo *controversia hac non est orta?* an ego vel Synodos, vel Cl. Voetium, vel virum doctum hic nominavi? An non Borstium Disp. 4. thes. 5. aperte ab hac opinione removi?

movi? imo ejus sententiam huic opposui? Quanquam, quod virum doctum & clariss. ejus collegas attinet, satis liquido è causa Poimenandri suam fecerunt, cum ejus tractatum citra ullam limitationem approbarunt: quod & ipsum non obscure fecit Borstius, qui Concionis suæ pag. 9. hunc librum Poimenandri se secutum esse aperte profitetur. quæ res, licet per mihi mira visa sit, & adhuc videatur, cum sole clarius sit, in rebus maximi momenti hosce omnes à Poimenandro dissentire, nolui tamen illud (ad quod me nunc adigit vir doctus) disputationibus meis inserere, cum propositum mihi solum esset quid veri, quid falsi hinc inde de hoc argumento, meo judicio, scriptitatum esset paucis indicare, & præcipuos hujus vel illius sententiæ defensores citare, nequid temere vel huic vel illi parti attributum videretur. Unum addam, antequam progrediar: Theses clariss. Voetij de Excelsis mundi, ad quas me remittit vir doctus, nondum ad manus meas pervenerant, cum ista scriberem, sed videram quæ ad Quæst. à Poimenandro sibi propositam respondet lib. de Coma Absal. p. 337. §. 2. in hæc verba: *Capillos breves aut longos, densos aut tenues minus magisve retinere, omnes homines eodem modo aut mensura non possunt: sed in hoc incidit varietas, pro diversitate complexionum,*

eratum, tempestatum anni, climatum sive
locorum habitationis, morbi aut sanita-
tis &c. quæ cum opinione Poimenandri,
 licet ipse ea citarit & libro suo inferuerit,
 conciliari nullo modo possunt. in Excelsis
 quoque mundi (quæ modo nactus inspexi)
 ad VII præcep. 1. Disp. 5. part. 3. thes. 1. negat
 prolixitatem aut brevitatem capillorum ita
 absolute & *positive* determinari posse, (in
 quo abit à Poimenandro) vetat tamen ne
cervicem tegant, in quo à Borstio dissentit,
 atque etiam à viro docto Quæst. text. 2.
 thes. 4. Quæ dixi clariora etunt ex iis quæ
 jam sequuntur. Secunda enim ratio, cur
 viro docto videor statum controversiæ per-
 peram formasse, in eo est, quia cum aliter
 formavit Poimenander. At nec consequen-
 tia hæc solida est, nec antecedens nisi ex
 parte verum. Consequentia, ut dixi, labo-
 rat, 1. quia potest fieri ut perperam Poime-
 nander, ego autem recte statum formave-
 rim. id quod factum esse ita demonstro:
 Statum quæstionis verbis nudis, clavis,
 significantibus, & quæ neutri parti præju-
 dicialium faciant, proponi oportet. An talia
 sunt verba Poimenandri? V. G. cum sub-
 jectum de quo agit vocat *vvilde vliegende*
hayr trossen, hayr-bosschen, hayr-locken,
vvijt-opgeblasene blesfen, (v. loca citata à
 viro docto, & Quæst. Cl. Voetio proposi-
 tam quo sup.) & multa talia, .i. capillos
ferinos

ferinos vel indomitos, volitantes, inflatos &c.
 nam reliquas verborum ampullas in latinam linguam vertere nec vir doctus, ut arbitror, nec ego potuimus, ideo ut sunt belgica reliquimus. Si hic modus formandæ controversiæ placet, libertatem sibi summet adversarius comas, quas defendit, in ipso disputationis limine vocandi *honestas, decoras, dignitatis & majestatis plenas &c.* quia eas tales esse arbitratur. At hoc non est statum quæstionis formare, sed ipsam quæstionem definire. 2. Ex ratione viri docti sequitur, & ipsum male statum quæstionis formasse, aliter enim eum formavit quam Poimenander, cum & casum necessitatis exceperit, & humeros ac tergum limitem capillorum fecerit Quæst. Text. 1. thes. 1. Poimenander autem hic tale peccatum statuatur, quale revera nulla necessitate potest excusari, & limitem capillorum supra ipsas aures promoveat. ut nunc videbimus. Dixi Antecedens viri docti (nempe Poimenandrum aliter ac ego facio statum quæstionis formasse) non nisi ex parte verum esse. id inde probo, quia postquam iis verbis quæ jam audivimus eum involvisset verius quam evolvisset, mox quasi se recolligens, perspicuitatis gratia subjicit: *Nostra vero disputatio TANTVM est de comis (vande locken of hayr-trossen) que CRANIYM NON TANGVNT. iis contra-*

dico, & demonstrabo eas repugnare natura
 & s. scriptura. conferantur hæc cum iis
 verbis quibus ego statum quæstionis for-
 mavi, & invenientur penè *αυτολεξει* ex ver-
 bis Poimenandri desumta. Neque hæc
 semel per incogitantiam Poimenandro ex-
 cidisse puta, repetit enim ea passim & in-
 culcat, imo atrocissimis verbis exaggerat,
 ut ostensum nobis Disput. 4. thes. 4. 7. ut
 mirum sit hoc à viro docto negari potuisse.
 Cujus rationes operæ pretium est excuti.
 Prima est: quod Poimenander immediate
 post verba jam recitata diserte dicit, non
 posse eandem omnibus nutriendorum capil-
 lorum mensuram statui. & recitat ipsius
 viri verba sermone Belgico. è quibus tan-
 tum abest ut ratio viri docti statuminetur,
 ut per ea prorsus evertatur. nam conside-
 ret is velim, Poimenandrum ibi loqui de
 comis quæ sunt IN CAPITE *op sijn hoofte*
 (verba hæc in versione vir doctus omisit)
 earum negat certam mensuram præscribi
 posse, at secus loqui de capillis qui CRA-
 NIVM NON TANGUNT, id est qui NON
 SVNT IN CAPITE, illos enim prorsus illicitos
 putat. 2. Ait eum impugnare capillos
 qui NOTABILITER *infra cranium descen-*
dunt, & capisi nullum adjumentum adferre
possunt. Quis hoc, inquit, non videt? at
ego vicissim, quis hoc videt? dicit enim,
 AD SYMMVM VEL EXTREMVM (*op het uy-*
terste)

terste) non licere longius descendere comam quam usque ad aures p. 198. & NON ULTERIVS. p. 190. hoccine est, permittere ut descendat quidem ulterius, modo id non fiat NOTABILITER? & quid dicit, eos qui hunc limitem transcendunt DEVM CONTVMELIA AFFICERE, &c. p. 191. an permittit id fieri modo ne fiat notabiliter? Denique in quo consistit descensus ille non notabilis? an in eo, ut caveatur, ne capilli humeris involitent, vel tergum flagellent, aut etiam prolixiores sint, quo modo vir doctus statum formavit? permittentur erho usque ad humeros exclusive. at Poimenander ipsas excludit aures. vult enim canonem istum servari. *Attonso capite, PATENTIBVS AVRIBVS.* videt opinor, pro sua prudentia, vir doctus, descensum capillorum quem ipse admittit, prorsus notabilem esse, nec cum eo quem Poimenandro attribuit, ullo modo componi posse. quisnam ergo ille est? hoc nunquam explicabii, nam revera nullus est. Addit: *Quis enim putet illum voluisse quotidie forfices tonsorum esse subendas; quod necessario statuendum esset illum velle, nisi modo quem indicavi verba ipsius interpretemur.* Resp. Non necessario statuendum esset illum hoc velle, licet id ex eius sententia sequeretur. verum deterius sequitur. Nam forfices adhibentur postquam jam coma permessa est

limitem suum transilire, .i. postquam peccatum jam perpetratum est, at id ne fieret præcavendum erat, & fabricandum instrumentum, quo efficeretur ut coma præscriptum sibi à Deo terminum perpetuo servaret, atque ita forficibus nihil opus esset. An quia tam *ἄτομα* ex opinione Poimenandri sequuntur, negandum est eum docuisse quæ docuit, scripsisse quæ scripsit? Multa consequuntur absurda ex ubiuitate corporis Christi, an ideo eam Lutherani non credunt? hac ratione concludam nullum unquam hominem errasse, quia ex quolibet errore sequitur aliquid absurdi.

3. *Liquet, inquit, idem ex eo, quod idem Poimenander, iudicium tum Voetii tum meum de negotio capillari libello suo, cui utrumque inseruit, sibi placere demonstravit: nec tantum libello, sed etiam epistolis super ea're ad nos missis. At quomodo hoc facturum fuisset, si missa questione principali, ad minus principalem aliquam respondissemus? quomodo pressiore determinationem à nobis non postulasset? Nam utrumque illud iudicium agit tantum de nutritione capillorum (de virilibus nunc loquor) à synodis non paucis damnata. Resp. Non habuit quod missæ questionis principalis vos insinularet Poimenander, nam questionem proposuit eis verborum nebulis involutam, unde sententia ejus de præciso capil-*

capillorum termino, nemo posset odorari. v. p. 340. de qua consequenter directe respondere non potuistis. quanquam perspicue satis sententiam de ea vestram significaveritis, Cl. Voetius p. 337. §. 2. supra citato, & tu p. 341. ad quæst. primam, ubi illicitam viris comam ultra cervicem & scapulas volitantem tantum asseris, limitem autem illum quem Poimenander in libello suo postea fixit, non præscribis. ut neque Synodi faciunt, quas laudas. unde mirum quidem est Poimenandrum sententiam vestram suæ contrariam absolute probare potuisse: at inde non sequitur eum vobiscum in re ipsa consentire. Nam & pontificii s. scripturam verbo probant, quam tamen sciunt suis erroribus adversari. non personas hic (quod semel præfiscine monitum volo) cum personis, sed consequentiam cum consequentia comparo.

4. *questum esse sibi Poimenandrum per literas ait, statum questionis ab antagonistis non attingi.* Resp. At hinc non sequitur, questum esse, falsam sententiam sibi imponi, quod notandum. deinde ab illius querela ad rei veritatem nulla est consecutio.

5. *Esto, judicaverit vir ille nutritionem comarum virilium præcise terminis craniæ (quod tamen ipsum minime statuisse credo) circumscribendum, an inde sequetur hanc esse principalem controversiam &c. Accessoria*

quidem, modo hoc statuerit, at non principalis vocari poterit. Resp. Præsupponit vir doctus duplicem hic esse controversiam, & principalem describi verbis illis quæ in fronte libelli inveniuntur, quæque ipse primo loco ex Poimenandro citavit, minus principalem hanc quam ego posui. quod si maxime verum esset, nihil tamen contra me faceret, qui de principali aut minus principali nullum verbum feci. neque causæ meæ incommodaret, nam siue principale siue accessorium quid sit, si falsum sit refutationem meretur. At verum non est, quod statuit vir doctus, unica enim hic tantum controversia, verbis diversis enunciata, primo generalibus, iisque obscuris, intricatis, & quæ eo modo proposita ne controversa quidem sunt, deinde clarioribus, quibus distincte quid auctor sibi velit indicatur. hoc vel inde patet, quia ea ad antecedentium lucem iis immediate subjicit: ea ergo potius quam illa seligenda erant ad statum quæstionis dilucide & distincte formandum. Porro quod Vir doctus Poimenandrum ita statuisse credere non potest, non efficiet quominus oculis nostris nos credamus. ita scripsit, aliter sensisse si crederem, putarem me ejus integritati injuriam facere. Solent (ait porro) viri eruditi in determinatione casuum conscientia, ubi materia tractationis tale quid requirit, postquam

postquam excessus rerum notabiles ostenderunt, TERMINVM in quo subsistendum ARBITRANTVR indicare, ut eo melius CONSCIENTIIS CONSVLANT. Et nonnunquam, quoniam maximi quod licitum est, difficilis saepe est determinatio, quod tutius est ei quod DVBIVM VIDERI POTEST praferunt &c.

Resp. 1. Nego penes viros eruditos esse TERMINVM figere, ubi nullum figunt sacrae literae, aut quod ipsi ARBITRANTVR pro lege naturae, gentium, imo divina aliis imponere. Scitum est Tertulliani dictum de praescript. adv. haeret. c. 6. *Nobis nihil ex nostro ARBITRIO inducere licet, sed nec eligere quod quis de ARBITRIO suo induxerit. Apostolos Domini habemus auctores, qui nec ipsi quicquam ex suo ARBITRIO, quod inducerent elegerunt: sed acceptam à Christo disciplinam fideliter narrationibus assignaverunt.*

2. Nego determinationem Poimenandrianam talem esse, ut DVBIA VIDERI NON POSSIT. Nam, ut recte Chryf. in Psal. 95. *Si quid dicitur absque scriptura, auditorum cogitatio claudicat, nunc annuens, nunc hesitans, & interdum sermonem ut frivolum aversans, interdum ut probabilem recipiens. Verum ubi è scripturis divina vocis prodit testimonium, & loquentis sermonem, & audientis animum confirmat.*

3. Nego hanc determinationem TVTIOREM esse, & per eam CONSCIENTIIS

CONSULI. & rogo te per veritatem, vir docte, si talem esse putas, cur eam non sequeris? cur ab ea palam dissentis? si non putas, cur non fers moneri populum Christianum ne in eam impingat? Et sane, non est tuta ista determinatio, neque per eam conscientis consultitur, quæ per eam præcepto non dicam *δυσβάσιλτος*, sed profus sua natura importabili onerantur. Reliqua quæ addit me non tangunt, exceptis postremis illis, *Adhac non in genere dicendum fuerat auctori quocum hic agimus, controversiam esse ortam; nec in plurali numero efferendum Thef. 3. Disp. dicta: Si enim vera est pars affirmans, habent qui eam tueantur &c. sed ostendendum à quo, aut à quibus orta sit ista controversia: & quinam sint qui affirmativam controversia orta partem tueantur: ne reliquis quos impugnat, quod non dicunt affingere velle videatur.* Resp. ad primum: quamvis tota illa quaestio, ubi de re ipsa constat, sit parum necessaria; neque mihi animus fuerit historiam scribere, sed disputationes theologicas, in gratiam tamen viri docti, per quem non licet esse negligentem, etiam hac in parte quod sentiam ascribam. Censeo ergo hanc controversiam primo motam & agitatam fuisse in Anglia, à Gulielmo Pryne, ad quam rem ipse nobis testis locuples esse potest. In Tractatu enim suo, cui
turu;

titulum fecit *The unlovelinesse of love-locks*, præfatione ad Lectorem, dicit cum libellum tale argumentum tractare, IN QVO NEMO ALIUS VNQVAM, QVOD QVIDEM SCIAT, LABORAVERIT. verba lingua Anglica hæc sunt: *Because it treates of such a subject, in vvhich none else have ever travelled, to my knowvledge. & paulo post: In quo (inquit) si forte circa particulare quippiam erraverim, quod fieri facile potuit, quia ambulavi*

— LOCA NULLIUS ANTE TRITA SOLO —

neque habui ULLA qua sequerer VESTIGIA, præter mea, spero bonam meam intentionem errores meos mitigaturam &c. verba originaria sunt: *In which of I have erred in any particular, as well I may, because I have walked in an untraden path, and had no foote-steps but mine owne to follow, I hope my good intention shall mitigate my errors &c.* Hic igitur hujus controversiæ prima, & rudia, si spectes ea quæ superaddidit Poimenander, lineamenta dedit. neque enim cum comæ modum præscripsit, quem hic inculcat, licet semel incidenter narret, *Papam Benedictum nonum peculiari quadam de causa, injunxisse Polonis, ut comar supra aures amputarent*, non, inquam, imponit papale hoc onus omnibus Christianis, quod Poimenander facit, neque ipse
id in.

id in se recepit, ut patet in effigie ejus ac
 ejus commilitonum, quæ insertæ visuntur
 historiæ cruentæ illius persecutionis quam
 passi sunt sub Archiepiscopo Gulielmo
 Laud, (Titulus libello est: *A new discove-
 ry of the prelates tyranny &c.*) Harum e-
 nim effigierum nulla est quæ comam su-
 pra aures detonsam exhibeat, imo nulla
 quæ aures perfectius tegat quam ea quæ
 representat Gulielmum Pryne. Quod si
 quis suspicetur id factum ad tegendas ci-
 catrices postquam hi viri auribus mutilati
 erant, (quanquam ne sic quidem id licuif-
 set, juxta principia Poimenandriana) is
 attendat quæ leguntur in supplicio Doct.
 Bastwick. p. 62. 63. ibi enim ad describen-
 dam summam ejus alacritatem ac fortitu-
 dinem inter alia dicitur, *Summota coma
 aures nudas præbuisse carnifici.* verba sunt:
*And so, removing away his haire he made
 the one eare readie for him, who presently
 cut it off, close to his head. & paulo post:
 Then the Dr. put aside his haire from the
 other eare: and forthwith he cut off the o-
 ther eare &c.* Fuerunt ergo comati hi tres
 fortissimi in causa Christi athlete, quos
 tantopere (nec immerito) extollit libri sui
 p. 330. & seq. & quorum unus de coma
 scripsit, cum contra, comam super aures
 resectam gesserit crudelissimus eorum per-
 secutor Wilh. Laud. ut patet in vera ejus
 effigie.

effigie eidem libello inserta. non exagita-
bo, nec exaggerabo hæc. ut nec quod Poi-
menander *love-lockes* vertit *comam ama-*
tam, cum significet *amatoriam*, & nihil
aliud per eam intelligat Pryne quam eam
quæ circa aurem sinistram demitti solebat,
detonsa ea quæ ad dexteram est, qui mos
jam pene obsolevit. Habemus primum
(se ipso teste) auctorem hujus controversiæ
in Anglia Wilh. Pryne, in qua multo lon-
gius processit Poimenander, qui ejus pri-
mus auctor in nostro Belgio merito nomi-
nari potest. &, nisi quid me fallit augu-
rium sumtum ex iis quæ apud virum do-
ctum sequuntur, cum ipso ejus dogma
moriturum est. Quod enim plurali nume-
ro utendum fuisse vir doctus negat, cum
dicerem, *habent qui eam tuentur* &c. id
ita desertam hanc opinionem esse patefa-
cit, ut Poimenando comes quærat, qui
saltem dualem cum eo numerum consti-
tuat in illa defendenda, imo ut tota in
latebras se conjiciat, ac si ne Poimenandri
quidem esset aut unquam fuisset. Actum
igitur est de mensura comæ Poimenandria-
na. cui si sententiam viri docti substitue-
ris, qui comam tantum ad tergum ac hu-
meros defluentem damnat, proba erit co-
ma veteris illud Hollandi à Clariss. Box-
hornio nobis exhibita, neque enim per
tergum luxuriat, neque per scapulas voli-
tat,

tat, sed aures & cervicem solummodo te-
 git: probi etiam qui eam hodieque imi-
 tantur, licet tales & editis libellis exagita-
 ti, & indignissimis haecenus modis fue-
 runt habiti. V. g. cum in ordinem latro-
 num relati sunt, qui quod aures carnificum
 opera amiserint, cicatrices suas obducta
 coma abscondunt. quod schema ita Bor-
 stio placuit, ut illud retulerit in Concio-
 nem suam p. 39. circa finem. At non in
 comam ut per humeros volitat, &c. sed ut
 aures tegit, convenit hoc dieterium, qua-
 lem tamen licitam esse haud immerito vir
 doctus statuit. Pæne oblitus eram cavilli
 de numero plurali vice singularis à me u-
 surpato: Possem respondere, me intellexis-
 se Poimenandrum & eos qui scriptum il-
 lius approbarunt. possem eos, qui secun-
 dum illius sensa ecclesias suas reformare
 conati sunt, licet eum publicis scriptis non
 defenderint. verum sit unicus Poimenan-
 der qui ista excogitarit, senseritque, nihil
 vetat quominus numerus pluralis, *κατ'
 εναλλαχην* in illum unicum respiciat. quod
 frequentissimum est tam in sacris quam
 profanis auctoribus. Gen. 2 v. 7. *Quis dix-
 isset: lactabit filios Sara?* .i. filium Ios. 7. i.
prevaricati sunt Israelita in anathemato,
.i. unus ex illis. Iud. 12. 2. Sepultus est (Ieph-
tha) in urbibus Gilead, .i. una ex illis.
 Matth. 9. 8. *qui dedisset talem potestatem ho-*
minibus,

minibus, .i. homini Christo: *ib. c. 27. 44.*
Latrones qui crucifixi erant cum eo expro-
brabant ei, .i. eorum alter. Act. 19. 38. ἀνθύ-
 πατοὶ εἰσι, .i. ἀνθύπατος. ut explicat Ca-
 saub. Exerc. 16. c. 113.

Homerus Iliad. δ.

ὡς σ' ἔβαλον τρώες, .i. unus Troianorum.
 Pindar. Olymp. Ode 9. κρηῖντε φερταίων
 κρηνίδαν. pro κρηῖς φερτάτης κρηνίδε. Eu-
 rip. Iphigen. in Aulide: ἰκέτευ' ἐκείνον πρῶ-
 τα, μὴ κτείνειν τέκνα, .i. filiam Iphigeniam.
 Idem Iphig. in Tauro: καὶ δέλτος αὐτῶ ζών-
 τας, ἔς δὲ κεν θανεῖν λέγῃσσι, .i. ζώσαν τὴν
 ἀδελφὴν. idem Jone: ἦ τί γω γῆθ' οἱ μ' ἔφυ-
 σον; .i. patrem qui me genuit? Virgil. 12.
 Æneid. *Spoliis induite meorum*, .i. mei Pal-
 lantis. Verum præstat ad sequentia pedem
 promovere.

Addit enim vir doctus Thes. 2. Ambi-
 gua esse illa verba: *per se & natura sua*
illicitum esse. Nam dupliciter, inquit, *per*
se & natura sua actionem aliquam esse il-
licitam dici potest: Primo enim actio aliqua
per se & natura sua illicita dicitur, que
 INTRINSECE mala est, adeo ut NUNQUAM
 HONESTARI POSSIT. Sic *per se & natura*
sua illicitum dicitur ODIVM DEI, MEN-
DACIVM, & alia hisce similia, quia nun-
quam hæc & iis similia honestari queunt:
 Deinde actio aliqua *per se & natura sua il-*
licita dici potest, que quidem in genere in-
 differens.

differens est, ac in specie mala est, id est tur-
pus est, non tantum ex circumstantiis perso-
narum, locorum & temporum, sed etiam ex
objecto & fine suo. & mox: Neminem no-
vi qui statuas usum prolixa virorum cæsa-
riei priori modo per se & natura sua esse il-
licitum. Resp. 1. Est quod mihi gratuler
consensum viri docti, in eo quod phrasin
hanc eodem modo quo ego explicet, ut
patet conferenti Disp. meæ primæ thesin
12. cum hac & 7. viri docti. ubi & addit,
Si quispiam ita locutus sit, aut non intel-
lexisse quidnam Scholastici velint, cum a-
junt actionem aliquam habere intrinsecam
malitiam, aut catachrestice locutum esse.
Imo Quæst. text. 1. p. 4. thes. 6. ait, probari
posse ex loco Num. 6. nutritionem comarum
virilium INTRINSECE MALAM NON ESSE,
sed talem qua positis ponendis honestari po-
test. 2. multo magis mihi & ecclesiæ gra-
tulor, quod vir doctus mecum O DIVM
DEI & similia intrinsece mala esse, nec un-
quam honestari posse affirmet, cujus con-
trarium non ita pridem edito publice scri-
pto à quodam defensum est. Verum 3.
quod neget se quempiam novisse qui sta-
tuat usum prolixa cæsariei hoc modo per
se & natura sua esse illicitum, id fateor mi-
hi mirum videri, cum ab auctore dialogi
id objectum norit p. 13. neque quicquam
cum ei responderet, quod ibi tamen facta
 oportuit,

oportuit, contradixerit. Porro, an terminus hic è penitissima Theologia scholastica petitus viro humanioribus litetis innutrito, temere in mentem venit, ut eum ad-versariis, nusquam sibi apud eos lectum impingeret? ne hoc quidem mihi sit verisimile. verum age: fides ejus rei sit penes auctorem tantisper dum tempus veritatem manifestet. Sed annon res ipsa est apud Poimenandrum? certe. nam crines dimissos ex eorum peccatorum genere esse statuit quæ recensentur Rom. 1. 26. 27. ut ostensum nobis Disp. 1. thes. 6. an illa unquam honestari posse concedet vir doctus? non faciet, sat scio, ut qui *mendacium* inter illa quæ honestari non possunt retulerit. multo minus illa scelera. habent ergo illa intrinsecam malitiam, & secundum Poimenandrum, etiam coma prolixa quæ iis accensetur. quod enim vel ipse vel alius (non enim memini) disparem hic gradum esse ait, nihil illi prodest, cum magis & minus non variant speciem. 4. Quod ad mala *per se & natura sua* referat vir doctus ea quæ talia sunt ex objecto & fine, expedita ratio est ad negandum ullam actionem natura sua indifferentem esse. nulla enim ita de se libera est, quæ ex fine & objecto non possit fieri mala. idem dico de genere & specie. species enim generis sua natura indifferentis non potest sua natura mala esse
sed.

sed tantum per accidens. 5. Quæro an Vir doctus comam prolixam hic saltem secundo modo per se & sua natura illicitam esse putet (nam de primo negavit) si non, nihil quod ad rem facit attulit, cum distinctio ad quæstionem quæ controvertitur non possit applicari, si sic, jam judicat de FINE quem sibi quisque in agendo proponit, quod est tribunal Dei *καρπὸς ὧν ἐξ* conscendere. Tandem adjicit: *Denique minus plenè quoque dicitur: An coma virilis prolixior &c. per se & natura sua illicita sit. Nam illi qui notabiliter prolixam virorum cesariem damnant, eam etiam, licet per se indifferens esset, propter scandalum quod plurimis per eam creatur (attestantibus id plurimis synodis, quibus certe vulnera ecclesiarum suarum incognita esse non potuerunt, nisi ipsas de rebus sibi ignotis locutas esse dicere quis velit) refugiendam esse contendunt. Resp. 1. Certe minus plenè illud (&c.) à viro docto interpositum est. si adjiciantur cetera, plena erit oratio: nempe. quàm ad cranium contegendum requiratur. hæc non ferunt glossema τὴ notabiliter, ut supra. 2. nec talem comam refugiendam esse ulla synodis sancivit. 3. nec ad secundam speciem peccati per se & natura sua pertinere statuit. 4. nec de vulneribus intrinsecis, puta, malo fine sententiam sibi unquam sumsit. scitum est: De occultis*

occultis non judicat ecclesia. 5. Fateor comam virorum ita *notabiliter* prolixam esse posse, ut scandalum generet, sed ab audaci & *ἀσεβῶ* imo impossibili determinatione brevitatis capillorum, & mutatione rei *per se indifferentis* in rem *per se malam* non minus scandalum, & majus periculum est. Rogatum autem ex animo volo virum doctum, an ipse ex eorum numero sit quos hic (si recte eum capio) commemorat? .i. an comam prolixiorem per se indifferentem, ratione autem scandali tantum refugiendam putet? Si ita sentit, (quod non de nihilo conjicere mihi videor) in magno & capitali puncto hujus controversiæ ad nos accedet, & gaudium nostrum hac quoque in parte augebit. Misso statu controversiæ, ad aliæ vir doctus thesi 3. progreditur, ac primum ad id quod dixi Disp. 1. thes. 4. *Tota hujus quasi decisio, nostro judicio, pendet è sensu dicti Paulini 1. Cor. 11. 14. 15.* Negat id mihi concedendum esse, & alia etiam loca reperiri innuit, quæ robore non careant. idem sentire Poimendrum addit, cujus verba truncata à me afferantur &c. Resp. 1. Meam sententiam hic proposui, ideo adjeci, NOSTRO JUDICIO. & adjeceram in MS. me censere nullum locum in s. literis occurrere qui de eadem re agat, de qua hic agit apostolus. hoc brevitatis causa omisi, sed sententiam
non

non muto. 2. Verba Poimenandri cate-
 nus citavi, quatenus idem mecum sentit.
 nam quæ me omifisse ait, talia sunt, ut
 trepidationem quidem auctoris innuant,
 circumspicientis sibi jam tum de aliis cau-
 sæ suæ præfidiis, si forte contingat hunc
 locum sibi de manibus excuti, sed eum,
etiamsi evictum foret locum illum pro se
non facere, tamen de victoria non desperare,
 quod asserit vir doctus, nec Poimenander
 dicit, nec ego credo. imo contrarium li-
 quido ex ejus verbis potest colligi. Ait e-
 nim: *Hic locus fundamentalis est in hac*
controversia, & veluti cardo in quo TOTA
hæc disputatio volvitur. At everlo FVNDAM-
 MENTO, quomodo ædificium se sustine-
 bit? effracto CARDINE quomodo non
 janua humi ptocumbet? sublato eo in
 quo TOTA disputatio volvitur, NIHIL
 disputatori reliquum erit quo se tueatur.
 Et certe licet multum concedat vir doctus,
 cum dicit Poimenandrum velle, hunc lo-
 cum esse *palmarium & præcipuum & ad*
quem sæpius in disputatione de capillis re-
currendum sit, plus tamen dicit Poime-
 nander, ut patet verba ejus attente legenti.
 Fateor eum *etiam aliunde thesin suam pro-*
bare STVDVISSE, ut ait vir doctus, sed eo-
 rum solutionem, cum Disputationem con-
 scriberem, Studiosorum *συππάζεις* reservavi,
 & ab aliis jam refutata erant. Me quod
 attinet,

attinet, si hunc locum, velut Herculi clavam, adversario (ut spes est) extorsero, quin tela reliqua sponte abjecturus sit, nullus dubito. itaque hoc agamus.

CAPUT II.

Acceptio prima vocis Natura, pro Lege natura, & argumenta pro ea, examinata. Coma prolixior non est contra naturam, ut scelera de quibus Rom. 1. 26. Coma est ordinabilis in bonum. Verba non instituta & consensu mero, sed natura significant. Platoni perperam contrarium affingitur. Aristotelis sententia qualis. Elementa nunc non sunt in naturali situ. Non semper totius quam partis major ratio habenda. Falso, quicquid contra naturam est, etiam supra illam & aliquid amplius esse dicitur. Deum & supra & contra naturam operari quo sensu possit asseri. Iuris naturalis definitio defensa. Adam in paradiso non habuit ferramenta quibus comam tonderet. Ea secundum prestantissimos auctores, inventa a Thubalcain. Adam non ambussit caput, ut Dionysius. Nec opus fuit ut ipse & Eva sibi invicem ungues premerderent.

Ius

Ius natura ob necessitatem corporalem violare non licet. Utile honesto preferendum non est. Amputatio membri infecti quomodo non sit adversus naturæ legem.

MOnueram thesi v. ad dictum Pauli præcipue quæri, quid apud eum sit natura? quid comatum esse? quid dedecus? Quantum ad primum, Inter significationes naturæ primam dixi adduci, qua per eam LEGEM NATURÆ ait denotari. ita Poimenander (cujus multa in eam sententiam loca citavi thes. vi.) ideoque virum comam submittere, esse contra legem naturæ, contra, supra, vel præter naturalem usum, quemadmodum scelera illa quæ recensentur Rom. i. 26. 27. licet (quod alibi additur) gradu dispari. Esse contra naturæ ordinem, quem tamen & bestia observent (ex Borstio) Habere tales comas intrinsecam malitiam (ex Dialogo de coma) Neque solas comas hanc censuram ferire, cum & barbam radere, & unguis alere, eidem naturæ legi repugnare dicat Poimenander. quod & citatis ex illo locis probavi ib. hæc mea ita recenset vir doctus, thesi III. Primo ait D. Poimenandrum dicere, naturam significare legem naturæ, & asserere, si vir comam submittat, id esse contra legem naturæ. item, contra, supra, vel præter

præter naturalem usum capillorum virilium. Poimenandro jungit Borstium. Addit præterea Dialectam asserere, esse qui dicant, comam prolixam habere intrinsecam malitiam. In quibus è collatione locorum apparet, peccare virum doctum, tum detrahendo, tum addendo. Detrahendo, quia dissimulat illa maximi momenti, quibus Poimenander specificat quomodo comam prolixam censeat esse contra naturam &c. nempe, quemadmodum scelera illa qua recensentur Rom. 1. 26. 27. item Borstiana illa, contra naturam ordinem, quem tamen bestia observent. item, de barba & unguibus, quibus eandem quam comis legem Poim. statuit. quæ omnia virum doctum, (præsertim prima illa Poimenandriana) omisisse brevitatis causa, in animum meum non possum inducere ut credam, sed potius quod ea mecum improbaret. id quod optarem clarius ex eo intelligere, ut amica ejus nobiscum in multis quæ hoc argumentum spectant, conspiratio magis hinc magisque elucesceret, & hujus controversiæ decisionem faciliorem redderet. Addendo dixi peccare virum doctum, quia illis meis: contra, vel supra, vel præter naturalem usum, adjicit: capillorum virilium. & fateor quidem ad capillorum inveniri loco citato ex Poim. p. 337. vel potius 338. (quo etiam respexi thes. 7. in illis, qua contra,

C

vel

vel prater naturam aut naturalem usum
ALICVJVS REI fiunt.) sed tò virilium ibi
non reperitur. contra, quæstio ad quam
ibi responderetur est tam de viris quam de fe-
minis. & solutio petitur ex usu naturali
capillorum in communi. unde tam his
quam illis posset accommodari, siquid ha-
beret solidi hoc argumentum. quod esset
contra ejus auctorem, ut perspicuum est.

Videamus iam quomodo Vir doctus
convellat ea quæ contra acceptionem hanc
à nobis adducuntur. eorum primum est,
thes. vii. quod *Hoc interpretamentum, ut
passim inculcatum, ita nusquam solide pro-
batum invenimus.* quod tamen factum
oportuit ab eo qui hoc sibi credi vult. nam
affirmanti incumbit probatio. & ne Poi-
menander pro omni probatione nobis in-
gereret, verba Apostoli ita clara esse, ac si so-
lis radio scripta essent, duplici argumento
ostendimus, ea nec clare opinionem Poi-
menandri continere, nec hanc ex illis se-
qui. Neque enim sequitur i. si alicubi Na-
tura significat natura LEGEM (demonstrat hoc)
ideo & hic eam denotare. Respondet Vir
doctus, Concedendum esse, non probari ne-
cessarium esse, ut, quia natura aliquando si-
gnificat legem nature, hic vox nature ea si-
gnificatione sumenda sit. sed sic (inquit) non
nemini solitos argumentari eos quos auctor
hic impugnat. Sed probant, naturam in s.
litoris

literis NONNUMQUAM significare legem natura, ut ostendant, vocem hanc eo significatu, loco de quo disputatio est sumi POSSE, NISI QUID ALIUD OBSTET quo compellantur ab eo recedere. An autem tale quid afferat auctor hic, mox videbimus. Resp. Ut argumentum nostrum perspicue intelligatur, ita habendum: Poimenander, ut comam prolixam contra legem naturæ esse doceat, passim vocem NATURÆ à Paulo hic usurpatam pro argumento adducit, idque tam secure, & nulla addita ratione cur alterum ex altero sequatur, acsi duo hæc vocabula essent prorsus æquipollentia. videantur loca ex Poimen. adducta thes. nostra VI. quod cum sit μέγα λίαν αἴτιμα, γιγμatus sum, an saltem aliquid συλλογιστικόν lateret in hoc argumento adversarii. id necessario vel tale esset:

Quod semper significat legem natura, id etiam hic eam significat, Natura semper &c. ergo etiam hic.

Et sic negaretur minor. vel tale: Quod nonnumquam significat legem natura, etiam hic. Natura &c. ergo.

Et sic negatur major, etiam à viro docto. unde apparet argumentum, Poimenandri vel à falso procedere, vel ab inconsequenti, ac proinde nullius valoris esse. cui tamen ut fulcrum subjiciat vir doctus, in hunc modum id transformat:

Quod NONNUNQUAM significat legem naturæ, id eo significato HIC sumi POTEST, nisi quid aliud obstat.

Natura nonnunquam significat legem naturæ,

Ergo eo significato hic POTEST sumi, nisi quid aliud obstat.

Ostendat mihi, si potest vir doctus hunc syllogismum in universo tractatu Poimemandri. si non potest, fateatur \Rightarrow ESSE in POSSE, & categoricam enunciationem in hypotheticam à se mutatam esse. probat enim è voce naturæ Poimenander capillos prolixos ESSE contra legem naturæ, quia SUNT contra naturam, non autem ita monstrosus syllogismus procudit, ut is est quem ei attribuit vir doctus. per quem, si totus concedatur, tamen non assequitur quod intendit, & qui nullam insuper consequentiam habet. Ait enim cum POSSE ita sumere, nisi quis ostendat eum id NON POSSE. quod perinde est, ac si quis probandum sumens fructum paradisi veritum fuisse *ficum*, dicat se id dicere posse, nisi aliud obstat quo minus id dici possit. at idem & de pyro & de pruno, alius concludet; & expedita hæc ratio erit ad omnia vel in certissima determinanda. Porro quod hic syllogismus videatur præsupponere, non posse rationes adduci, quominus hic natura pro lege naturæ sumatur, ejus
contra-

contrarium videbimus ad thesin nostram VIII. & reliquas usque finem Disput. primæ. Interum observo, ne in hac quidem quæstione virum doctum sententiam suam indicare, nimirum, an ipse sentiat *naturam* apud apostolum significare *naturæ legem*? Nam si ita sentit, cur in Disputationibus suis textualibus ad locum Pauli significationem illam penitus omisit? si diversum sentit, cur adversus animi sui sententiam eam opinionem propugnat? nisi id in gratiam amici, viri eruditi facundi, & de ecclesia Dei bene meriti sibi non inconveniens esse putarit: in quo me nullo modo sibi astipulatorem habebit. Porro si (ut videtur) hac quoque in parte nobiscum sentit, fateor multum nos etiam sic lucratos esse, & velitationunculas hasce per quas & ipsi acui mur ac exercemur, non difficulter ei donamus.

Alterum meum argumentum adversus hanc interpretationem vocis *naturæ*, erat: quia *non, quæcunque quoquomodo contra, vel præter naturam, aut naturalem usum alicujus rei fiunt, contra LEGEM facta esse sequatur, ideoque ILLICITA.* ad illud ita disputat vir doctus: *Deinde concedendum quoque est, non esse omnia illicita, quæ quoquomodo contra, vel supra, vel præter naturam vel naturalem rei usum sunt. Nego tamen male dixisse collegam meam D. Voetium,*

B 3

(cuius

(cujus iudicium de re capillari, quod libello D. Poimenandri insertum est sic vellicatur) usum comarum de quibus loquitur, esse illicitum, quia est contra, vel saltem supra, vel prater naturam. Nam distinguendum est inter usum rei contra vel supra, vel prater naturam. concessione divina ordinabilis in bonum utentis vel aliorum, & eum qui ex concessione divina non est ordinabilis ad bonum utentis vel aliorum, sed qui damnum affert, & tale quidem quod rationem boni non induit. & mox: Quoniam ergo D. Voetius agit de tali usu comarum, contra, vel supra, vel prater naturam, qui in bonum utentis vel aliorum ordinabilis non est: sed tantum damnum affert utenti, quod rationem boni non induit: recte collegit usum comarum de quibus differit, quia est contra, vel saltem supra, vel prater naturam illarum esse illicitum.

Resp. Concessionem viri docti accipimus, quia per eam habemus quod volumus. Ita enim vel Poimenandro vel Voetio argumentandum est:

Quicquid est contra, vel supra, vel prater naturam, est illicitum.

At coma virilis prolixior est contra, vel supra, vel prater naturam. Ergo est illicita.

Hic enim syllogismus, & non alius latet in illo (ut vulgo vocant) enthymemate: Usus coma virorum prolixior esse illicitum, quia

quia est contra, vel supra naturam. At vir doctus concedit Majorem falsam esse. concidit ergo totus syllogismus, & habemus intentum.

Hoc ut evadet vir doctus, ita Majorem propositionem transformat.

Quicquid est contra, vel supra, vel praeter naturam aut naturalem usum alicujus rei, eo sensu ut ille usus concessione divina non sit ordinabilis in bonum, & tantummodo damnum affert, quod rationem boni non induit, est illicitum,

Verum hæc Major 1. nec apud Poimendrum, nec apud Voetium reperitur, sed à viro docto excogitata est. 2. nec quicquam commune habet cum loco Paulino, in quo generalis tantum vox NATURÆ occurrit, unde acceptio tot circumstantiis restricta non nisi inconsequenter, videlicet per paralogismum à non distributo, deduci potest. 3. Si agat de bono in genere moris, etiam falsa est. licet enim ut quid sit moraliter BONVM requiratur finis moraliter BONVS, ut tamen aliquid moraliter sit LICITVM, sufficit finis moraliter INDIFFERENS. dico, quantum ad rationem finis, ex qua hic argumentum ducitur, nam aliunde habere potest ut sit illicitum. Minor quoque laborat 1. petitione principii, quia NON CONCEDI A DEO quod in ea sumitur, est idem quod ILLICI-

TVM ESSE quod ex ea concluditur. 2. fal-
 sitate, & quidem primo de coma quam
 Poimenander oppugnat, quæ videlicet
 tempora & cervicem tegit, eam enim &
 concessam esse, & in bonum utentis ordi-
 nari posse profitetur Borstius, nec diffite-
 tur vir doctus. Imo aperte hoc profitetur
 Quæst. text. 2. thes. 4. secundo de comâ
 quam impugnat vir doctus, quæ videlicet
 in humeros & tergam demissa est, ea enim
 & CONCESSA divinitus fuit Nazitæis, & ab
 eis atque ab ipso Deo IN BONVM ORDI-
 NATA. est ergo etiam talis coma *conces-
 sione divina ordinabilis ad bonum.* 3. In-
 cidit in illam opinionem quam vir doctus
 dudum à se amolitus est. nam *non esse con-
 cessione divina ordinabile ad bonum, item
 rationem boni non induere, quid est aliud
 quam intrinsecam habere malitiam, & non
 posse honestari?*

Hisce evolutis, facile erit ab exceptio-
 nibus viri docti vindicare exempla mea si-
 ve *cursæis* quas attuli adversus consequen-
 tiam quam Poimenander ducit à NATVRA
 ad NATVRÆ LEGEM. Quæ quidem ex-
 ceptiones omnes falso præsupposito labo-
 rant, & quidem duplici 1. quasi ego exem-
 pla illa opposuissem syllogismo. quem vir
 doctus excogitavit quique tum cum scri-
 berem nondum natus erat. 2. quasi di-
 stinctio quam in ea commentus est, de
 ordi-

ordinabili & non ordinabili in bonum in re proposita esset vera. nam in omnibus solutionibus ea recurrit. & in prima quidem, secunda, tertia, quarta, sexta nihil præter eam reperitur. unde non est operæ pretium iis immorari. in quinta ubi exemplum Diogenis attuli, qui *præter naturam* esse putabat vasculo aquam haurire, cum id cava manu posset, & hoc alicui scrupulū movere posse dixi (quasi id ideo sit contra LEGEM naturæ) ait, *non queri quid Diogenes senserit, sed quid auctor hic statuat.* Atqui hoc nego. quæritur enim quid alicui, secundum principia Poimenandri scrupulum, & quidem merito movere possit. tale esse dico id quod attuli de Diogene. si enim quicquid est præter naturam sive naturalem usum, illicitum est, sequitur, illicitum esse uti vasculo ad hauriendam aquam, quod cava manu fieri possit. nam manus ad hunc usum est instrumentum *naturale*, vasculum autem *arte factum*, atque ita *præter naturam*.

In septima ubi a rebus ad dictiones id mali processurum aio, vix enim quis tria verba profari audebis, ne à propria ac *nativa* eorum significatione & usu discedat, quod fit in tropis & figuris, *nugas* agi clamat. Nam I. *verba* (inquit) NATURA sua nihil significant, sed quicquid significant ex INSTITUTO significant, ut docere videtur

Plato in *Crasilo*, & Aristot. diserte affirmat
 lib. de *Interpres. sect.* 1. c. 2. & mox I-
 NSTITVTVM explicat per GENTIVM CON-
 SENSVM sive CONSVETVDINEM. Resp. U-
 ter nostrum hic nugas agat, facile patior
 attentum lectorem iudicare. 1. enim ea hic
 affirmat quæ causam suam, vel Poimenandi
 potius (nam ipse hanc rem animi tantum
 causa agit) penitus evertant. Si enim verba
 significant GENTIVM CONSENSV, sequitur
 ea esse JURIS GENTIVM, quod ex CONSEN-
 SV illo definitur, & per consequens, qui eo-
 rum significationem immutat (quod fit in
 tropis & figuris) peccat in jus gentium.
 2. Si idem sit CONSENSVS GENTIVM quod
 CONSVETVDO, sequitur Consuetudinem es-
 se NATVRAM illam de qua Paulus agit.
 eam enim per jus sive consensum gentium
 Poimenander explicavit. v. Disp. nostram
 3. thesi 1. & 2. At hoc negat vir doctus ib.
 3. Falsum est in theologia quod hic statuit
 vir doctus, quicquid tandem dicant vel
 Plato vel Aristoteles. Si enim consensu
 gentium verba significant, quæro 1. quas
 gentes Adam consuluerit cum animalibus
 nomina imponeret? Genes. 2. 19. 20. certe
 nullas. quæro 2. An gentium consensu fa-
 cta sit linguarum divisio de qua Genes. 11.
 7. 8. ? quid absurdius? nam consenserant
 in ædificanda turri. ad quod eis sermo u-
 nus, & verba eadem inseriebant v. 1. ille
 con-

consensus immissa divinitus linguarum
 multitudine diremptus ac dissipatus est. 4.
 Falsum est quod Platoni in Cratylo affin-
 git Vir doctus, licet hæsitanter & per VI-
 DETVR. nam (ut verbis Marsilii Ficini ad
 illum dialogum quæstionem ibi agitatum
 explicem) *Hermogenes Parmenidis discipu-
 lus & sectator, atque Cratylus sectator He-
 raclici, de rectitudine nominum dissidentes,
 dum ille quidem nomina solum ARBITRIO,
 hic vero NATVRALI ratione habere vim pu-
 tat, denique Socratis se iudicio subigunt. So-
 crates in Cratyli sententiam magis inclina-
 re VIDETVR.* Et recte profecto Ficinus.
 quæ enim erat Cratyli sententia? nempe,
*rebus singulis NATVRA inesse rectam nomi-
 nis rationem, neque id esse nomen, quod qui-
 dam EX CONSTITVTIONE vocant.* Plato,
 sub persona Socratis in tantum ab eo dis-
 sentit, quod & hæc quidem etiam nomina
 esse fatetur, sed negat ea recte se habere.
*Nominandum enim ait ea ratione, qua re-
 rum ipsarum NATVRA nominare ac nomi-
 nari postulat. item, Oportere ut nominum
 institutor nomen NATVRA rebus singulis
 aptum (φύσις πεφορηγς) vocibus & syllabis
 exprimat, si revera nominum auctor est fu-
 surus. item: Nempe Cratylus VERUM
 loquitur, cum nomina dicit NATVRA rebus
 competere, neque unum quemvis esse nomi-
 nis auctorem, sed illum duntaxat, qui ad*

nomen respicit quod NATURA cuique rei
 convenit. item vult ESSENTIAM rei (τῆς
 οὐσίας τῆς πραγμάτων) in ipso nomine elucen-
 tem dominari. denique toties hic φύσις,
 i. e. natura vocabulo utitur, ut supervaca-
 neum videatur omnia loca enotare. Tan-
 git porro (quod & adjicit Ficinus) opinia-
 nem de nominum origine triplici, vel quod
 à Diis quondam accepta fuerint, (δηλον ἔ
 (inquit) ὅτι οἱ θεοὶ, αὐτὰ καλεῖσσι πρὸς ὀρ-
 θότητα, ἀπὸ ἐστὶ φύσιν ὀνόματα) vel quod à
 barbaris, vel quod à longitudine temporis
 adeo à prima origine permutata, ut primæ
 nominum positiones minime discernantur.
 Porro, cum nominis finis sit rem ipsam re-
 ferre, prestare, (ait) ipsum similitudine qua-
 dam rei, quam hominum conventionem re-
 ferre. quæ quia operosa res est, idcirco dis-
 scendam esse consuetudinem naturæ, ut qua-
 tenus fieri potest, NATURÆ rerum aucto-
 ritatem habeat nominum. Vbi vero nullo
 modo, vel difficillime per NATURÆ pro-
 prietatem id fieri potest, fiat per consuetudi-
 nem conventionemq; humanam, sive solam,
 sive NATURÆ conjunctam. Quæ ex Fici-
 no, & ipso Platone demonstravi, iis nunc
 subjiciam iudicium oculatissimi in hisce re-
 bus Eusebii Cæsariensis. Is ergo lib. xi. de
 præpar. Evang. c. iv. de nominum impo-
 sitione per Adamum facta, & universim de
 ea quæ apud Hebræos magis quam apud
 alias

alias gentes convenienter fit naturæ unius-
 cujusque rei disputans; & inter cætera ip-
 sum Mosis locum explanans, ita scribit:
*Cum Moses dicat, omne quod vocavit Adam
 anima viventis, id ipsum est nomen ejus:
 nihil aliud dicere voluit, nisi convenienter
 ad NATVRAM rei nomen fuisse inditum.
 quasi diceret: Ut ab eo quodque vocatum
 est, sic in ejus NATVRA erat. & c. 3. ejus-
 dem lib. Moses, inquit, priusquam Græci
 vel ipsum Philosophia nomen cognoscerent,
 innumerabilia de impositione nominum
 dixit, aut NATVRA duce, aut Dei judi-
 cio nomina rebus esse imposita ostendens,
 Plato quoque (attende) NON IMPOSITIO-
 NE nuda, sed duce NATVRA recte nomi-
 na rebus imponi docet: idque barbarorum
 auctoritate confirmat, Hebræos, meo quidem
 judicio, significans: non enim apud alios ta-
 lem observationem facile invenies. Ex mul-
 tis igitur qua hac de re disseruerat Plato,
 colligit, non cujusque hominis, sed sapientis-
 simi esse, nomina rebus ut oportet imponi-
 re. Non ergo, inquit, triviale quiddam est,
 ô Hermogenes, recta nominis impositio, sed
 doctissimorum atque præstantissimorum vi-
 rorum. Tum Cratylus: Recte, inquit, ais,
 duce NATVRA nomina rebus accommo-
 data putans, nec quemvis hoc facere posse,
 sed illum tantummodo qui ad rei NATV-
 RAM respiciens, ad eam nomen ipsum recte*

ascendit.

accommodare potest. Hæc Eusebius, — è quibus & ipsis sole clarius patet, Platonem alienissimum fuisse ab ea opinione quam ei Vir doctus tribuit. veniamus nunc ad Aristotelem, quem diserte secum facere ait vir doctus. Et fateor cum lib. *περὶ ἐπιφανείας* Tract 2. c. 2. nomen appellare *φωτὴν σημαυλικὴν κατὰ σωτήριον*, idque postea ita explicare: τὸ ἢ κατὰ συνήθειαν, ὅτι φύσις τῶν ὀνομάτων εἶδέν ἐστιν, ἀλλ' ὅταν γλῶσση ἀμβολῶν. in quo cum à Platone dissentire videri non dissimulant ejus interpretes, qui tamen eos varie conciliant. V. G. *Nomina*, inquit, à natura esse dupliciter contingit, vel à natura tanquam ejus opificia, ut Heraclitus censebat, vel, à natura, tanquam naturæ rerum convenientia, ut Plato. pari modo, *nomina* esse *posicione* dupliciter contingit, vel quasi quilibet potestatem habeat fingendi nomina ad libitum, ut dicebat Hermogenes, vel quod solus ille qui optime naturas rerum cognoscat, ita ut valeat proprium singulis nomen excogitare, ut Plato, ita fere Ammonius. nec dubitandum est utrumque philosophum in posterioribus vocum harum significatis convenire. si enim nomina ita sola *imposicione* valere censuisset Aristot. ut naturæ nulla in iis ratio haberetur, cur & in Naturali auscultatione de casu, & de vacuo, & in meteoris de gutta & pluvia,

& alibi nomina consona rebus imponere
 sategit? Adjungerem his parentem elo-
 quentiæ M. Tullium, qui licet lib. de Ora-
 tore dicat: *Hoc non natura fit, sed quodam
 instituto*, tamen libr. de Finibus ait: *Vis
 verborum & NATURA orationis.* & in
 Partit. *simplicia verba partim NATIVA
 partim reperta sunt.* adjungerem doctissi-
 mum Romanorum M. Varronem de lin-
 gua lat. l. 4. dicentem: *Quom utriusque
 verbi NATURÆ sint due, A qua re, &
 IN qua re vocabulum fit IMPOSITVM,*
 ut docetem non sequi, si verba significant
 ex *instituto*, ergo *naturam* eis nullo mo-
 do tribui posse. sufficit autem, si vel una
 vocis illius significatio eis conveniat, ut à
 loco Pauli (qui NATURAM absolute &
 generatim nominat) ad ea ducatur argu-
 mentum æque solidum ac est argumentum
 Poimenandri. ut enim ille ex NATURA
 infert naturæ LEGEM; & ex hac PEC-
 CATUM CONTRA NATURAM in or-
 dine ad pilos, ita qui ejus fundamento in-
 hæret etiam faciet in ordine ad VERBA,
 unde qui eorum significationem NATU-
 RALEM sive NATIVAM in aliam mutat,
 quod fit in tropis, cum LEGI NATU-
 RÆ fraudem facere, & CONTRA NA-
 TURAM PECCARE concludet. quid ad
 hæc vir doctus? *Negat tropos esse contra
 naturam verborum, & licet ita esset, mini-*

me tamen, inquit, quispiam, nisi plane insaniat, scrupulositate illa, quam auctor hic, ridicule satis objicit, tenebitur. Resp. Rismum viri docti per ea quæ adducta sunt (& plura possent adduci) nonnihil compressum esse arbitror. Ad rem: Significatio verborum quæ à NATIVA recedit, interdum CONTRA illam est, ut in ironia, interdum PRÆTER illam, ut in reliquis tropis. qui hoc negat, ne definitionem quidem tropi novit. *Insania & scrupulositas* quam objicit, redundat (quod tamen factum nollem) in Poimenandrum, per cuius vestigia hoc argumentum incedit. neque sequitur: *nemo facile hac scrupulositate tenebitur*, ergo ea non sequitur ex rationibus Poimenandrianis. addit: *Vsum troporum saepe necessarium esse, quia plures sint res quam verba:* Resp. Nullam esse necessitatem delinquendi, *is quibus una necessitas est non delinquere.* ex Tertull. Deinde nego ex eo quod plures sint res quam verba, sequi necessitatem troporum, quia huic defectui succurri potest novorum verborum adinventione. addit: *Et rationem boni habent; pingunt enim orationem & illustrant.* Resp. nullum tam grave scelus esse quod non habeat rationem boni, faltem utilis aut jucundi. ideo rationem hanc nullius momenti esse. addit: *Vnde Christus, Propheta, & Apostoli à tropis non absti-*

abstinere. Resp. Hoc vere est nugas agere. nam inde sequitur tropos esse licitos, at ex Poimenandri ratione sequebatur eos esse illicitos, neque proinde Christo fuisse usurpandos. & hæc pro vii. nostra ratione.

Ad viii. Ubi Deum ipsum suo exemplo docuisse aio, & licere, & expedire sæpenumero, ut ordo naturæ ad utilem aliquem in vita finem in vertatur, dicit i. *ab exemplo Dei ad id quod nobis est licitum male concludi, nisi ponenda ponantur.* Eripuis enim, inquit, *Deus Chananais bona qua justo titulo, saltem quoad forum externum, possidebant, & ea Israëlitis tradidit: male tamen inde concludet adversarius sibi licitum bona aliis eripere.* Resp. Docendum erat viro docto quænam ponenda hic non ponantur. alioqui nihil agit. in exemplo quod contra affert manifesta est ratio, cur non liceat imitari factum Dei, quia videlicet vetuit Deus furtum facere, quod est rem *alienam* contrectare invito Domino. ea autem ratio in Deo locum non habet, à quo nihil eorum quæ homines habent *alienum est*, nec esse potest. dare ea potest, at à Dominio suo alienare non potest. alioqui omnium rerum Dominus, ac proinde Deus esse desineret. multo minus locum habet in re proposita, nusquam enim Deus vetuit elementorum situm naturalem mutare,

tare, alioqui omnes miffiones effent prohibita &c. ideoque in eo, nifi quid firmius contra attulerit vir doctus, ab exemplo Dei recte ducitur argumentum. 2. ait: *Quis dicit absolute illicitum esse rebus contra naturalem inclinationem uti? vide diftinctionem datam.* Resp. Quicumque argumentatur à vocabulo naturæ absolute pofito, ad naturæ legem, neceffario ftatuic quicquid quoquomodo contra naturam fit, etiam contra legem fieri, atque ideo illicitum effe. *ὅτι ἐδὲ δειξέται:* 3. inquit: *Vnde probat auctor hic terram vel aquam nunc effe in fitu violento? ut primo die terra & aqua erant in fitu naturali, fic etiam nunc funt, propter illam que tertio die facta eff mutationem.* Resp. fitus elementorum naturalis eff, ut quod gravius eff fubfidat, quod levius emineat. terræ ergo quæ graviffima eff debetur locus infimus, fuper illam aquæ, & fuper hanc aëri. fi hic fitus naturalis eff, is qui fuffeffit tertio die eff præter naturam, totius elementi videlicet violentum effe non dixi, quia ad hoc aliud requiritur, ut videlicet patiens reluctetur, quod hic non eff. Mirifica funt autem ultima verba viri docti (fi ego ea protuliffem, redicula effe dixiffet) videlicet *terram & aquam nunc effe in fitu naturali propter illam que tertio die facta eff mutationem.* fi ita res habet, fequitur ante illam mutationem.

tionem in situ naturali non fuisse, ac proinde, juxta illationem viri docti, creata esse in situ violento. quod non modo falsum est, sed & contra hypothesin. 4. inquit: *Quod si daretur quod vult vir doctus, dicam situm illum quem nunc obtinent, esse quidem præter naturam particularem illorum elementorum, sed non præter naturam illorum quatenus sunt partes universi &c.* Resp. sufficit mihi, esse aliquo modo *contra naturam*, quod mihi largitur vir doctus. inde enim sequitur non quicquid quoque modo contra naturam est esse illicitum. quod adversario statuendum est, si ex nuda voce *natura* ad *naturæ legem*, quod facit, argumentari vult. 5. ait: *Ratiuncula hæc solutionem secum affert: Supponitur enim, elementa non esse relicta in primo statu, ut stirpes, pecudes, & homines essent; at totius magis quam partis habendam esse rationem vel ipsa natura docet.* Resp. 1. Solutiuncula hæc præsupponit, stirpes, pecudes, & homines esse totum, elementa autem, terram & aquam partes. quod falsum est, nam utraque sunt partes universi. 2. velim nos doceat vir doctus, quamnam natura doceat, Deo totius magis quam partis rationem habendam? an non is majorem minimæ partis universi rationem habuit, puta familiæ Noachi, quam totius universi reliqui? an non majorem rationem

habet.

habet pusilli sui gregis, quam reliquorum omnium? & an non hæc omnia facit ex libero suo beneplacito, minime autem ex necessitate vel suæ vel cujuscunque alterius *natura*? 3. moneo virum doctum, ipsius vestigia secutus, ne hoc ita nude etiam respectu hominum statuatur, sed *positis ponendis*. Alioqui procedet ratio Cajaphæ, videlicet *conducere ut unus homo moriatur pro populo, & tota gens non pereat*. hoc enim est idem ac si dicat, *Totius magis quam partis rationem habendam esse*.

Tandem exagitat vir doctus, quod dixi Deo imprudenter injuriam fieri, cum Poimenander etiam quæ *supra naturam sunt* illicitis annumerat, quia solum Deum supra naturam operari constet. Ubi primo mihi satis invidiose nomen clariss. collegæ sui opponit, cujus ea sint verba, non Poimenandri. At cum ea Poimenander 1. pro se laudando sua fecerit, atque etiam 2. ad suam opinionem à Voetiana diversam perperam accommodarit, ut antea docuimus, licere mihi arbitratus sum huius nomen omittere, & cum solo Poimenandro agere. in quo non majorem me illi injuriam fecisse arbitror, quam quod & approbationem operi Poimenandriano præfixam (in qua & viri docti nomen comparat) tacitus præterii. verum non licet id, quantum video, per virum doctum, in quo tamen
me

me & ratione non caruisse, & modestiæ interim litasse æqui, ut arbitror, lectores confitebuntur. 2. Retorquet argumentum meum in me ipsum. *Statuit enim, inquit, ut ex ratiunculis paulo ante refutatis liquet, creatura possibilem esse operationem contra naturam. At operatio CONTRA NATURAM dicit operationem SUPRA NATURAM & aliquid amplius.* Resp. an rationes meas suis solutiunculis infirmarit, penes lectorem iudicium esto. sed acroama quod hic ponit omni veritate caret. si enim omnis operatio contra naturam alicujus, sit etiam supra eam, imo aliquid amplius, sequitur amplius quid esse pugnam quam victoriam. & operationem Satanz ac perditorum hominum esse supra naturam operationum divinarum, imo aliquid amplius quam supra illam, quia sunt contra illam, quod & *δυσφημον* est, & proterus *ἀκρίαληπτον*. Nam qui Deo utriusque generis operationes tribuunt, nempe & contra, & supra naturam, tamen hisce palmam tribuunt, non illis. Tunc enim cum facere *contra naturam* ajunt, quando facit aliquid *cujus simile in natura & à natura habet, tamen alio modo omnino diverso, ut cum divina virtute vitam aut visum dat. Supra naturam autem, quando facit aliquid cui simile natura facere non potest, & ad quod natura non habet ordinem*

dinem secundum propriam virtutem, sicut quando Deus factus est homo. ita Bonavent. d. 18. q. 2. in fi. l. 2. pergit: Distinguo inter naturam hujus aut illius rei secundum quid, & naturam ejusdem absolute consideratam, & dico, creatura possibilem esse operationem aliquam supra sive prater naturam alicuius rei secundum quid, sed non absolute consideratam. Resp. In enthymemate adversarii, quo infert, comam virilem prolixam esse illicitam, quia sit supra naturam capillorum, hic latet syllogismus: Quicquid est supra naturam alicujus rei, est illicitum: Coma prolixa &c. Ergo.

Negavi majorem, quia Deus agit supra naturam, nec tamen actiones ejus sunt illicitæ. hunc nodum non solvit vir doctus, sed arripit vocem solius. ac probat etiam actionem creaturæ posse esse supra naturam alicujus rei, sed secundum quid. Resp. cum soli Deo operationem supra naturam tribui, accepi vocem in famosiori significato, prout ille solus facere potest quæ omnem vim naturæ creatæ excedunt. hoc modo operatio supra naturam, nec absolute nec secundum quid creaturæ competit. Alii modi operandi supra naturam alterius rei excogitari possunt. nam cum unius rei creatæ natura superet naturam alterius rei in esse, utique etiam in operari,

ti. sic operatio angeli est supra operationem hominis, hujus supra operationem bestiae, & bestiae quoque supra operationem vegetabilium &c. Item cum pugna est inter naturas contrarias, contingit alteram ab altera superari atque etiam destrui, exemplum in igne & aqua. sed hæc 1. non sunt acceptiones theologice *sc̄* *Supernaturale*. ut notum est, ideo eas recte omittere potui. 2. non faciunt ad causam adversarii, sed contra eam, quippe hæc operationes quia supra aliquam naturam sunt, non id eo sunt *illicite*, alioqui, quod contra adversarium est, censura erit *allicita*, quia superat naturam capilli, quem amputat & destruit, saltem ex parte. pergit: *Verbi gratia, sursum ferri lapidem, est quidem supra naturam lapidis, quoad potentiam ejus activam, at non est supra potentiam ejus universaliter consideratam, etiam in ordine ad creaturas. Habet enim ad hoc potentiam obedientialem etiam in ordine ad creaturas. Sed innatare ferrum aqua (ut factum tempore Elise) absolute supra naturam ejus est, in ordine ad creaturas. Quia non habet potentiam abedientialem ut actus secundus gravitatis à creatura suspendatur: quamvis habeat respectu Dei. Possem hoc exemplum prætermittere, nam solutione modo data ejus vis evanuit. unum addo ex superabundanti, videri mihi minus recte nec*

nec juxta communem usum philosophantium potentiam obedientialem cum naturali confundi. ita enim debet oppositionem instituere: Sursum ferri lapidem, est quidem supra *naturam* lapidis, quoad potentiam ejus activam, at non est supra *naturam* ejus quoad potentiam universaliter consideratam &c. Habet enim ad hoc potentiam obedientialem. Atqui potentiam *obedientialem naturali* opponi solere memini, etiam tum cum relationem habet ad creaturam. ita enim *naturalem* definiunt, ut sit ordo, propensio, vel inclinatio, cuique rei insita, ad id quod sibi consentaneum est, ut potentia materiæ ad formam sibi proportionatam &c. *Obedientialem* autem, ut sit aptitudo, seu non repugnantia, quam res habent ad aliquid obtinendum ab eo cui vel præter vel supra naturæ modum obedire aptæ sunt. Quomodo inest ligno potentia ad formam statuæ, quæ est præter naturam, prout natura ab arte distinguitur &c. v. Coll. Conimbr. in 1. Phys. c. 9. q. 12. a. 4. Pergit: *Voetius, quando ait usum illum comarum de quo loquitur esse supra vel præter naturam, nihil aliud voluit, quam esse alienum à fine propter quem comæ hominibus data sunt.*

Resp. 1. Cum Poimenandro hic mihi res erat, non cum Voetio, usus enim comarum de quo loquitur *Voetius*, diversus est
ab

ab eo de quo loquitur Poimenander. 2. *supra naturam alicujus rei esse, & alienum à fine illius, æquivalere, ne ipse quidem Vir doctus credit, licet eam sententiam Voetio, nescio quam vere, tribuat. nam si crederet, saltem significationem vocabuli *natura* pro *fine*, & *supra naturam* pro *alienum à fine* in suas Disputationes textuales retulisset. ut taceam, probandum esse Poimenandro, usum comæ quæ aures aut cervicem tegit esse alienam ab omni illius fine. id autem nec vir doctus, nec Borstius credit. Concludit: *Non ergo Voetius aut Poimenander imprudenter injurius est in Deum: sed ipse hic auctor imprudenter injurius est in Voetium & Poimenandrum; & sibi ipsi imprudenter contradicit, dum contendit creaturam posse operari contra naturam, & tamen negat posse operari supra naturam, Cum tamen ne quidem ipse Deus in operatione miraculorum operetur absolute contra naturam, licet operetur supra naturam: quia omnes creatura potentiam obedientialem habent in ordine ad Deum, ad operationes quæ circa illas in productione miraculorum exercentur.* Resp. quæ durius sonant in auribus viri docti ea depravando non debebat reddere duriora. 1. enim Voetium non nominavi, at ipse me in illum incurrentem facit: quo animo, ipse novit. 2. nec dixi Poimenandrum imprudenter*

D

inju-

injuriam esse in Deum, sed id quod ille imprudenter statuit, esse in Deum injuriam. de dogmate quod asserui, licet forte duriuscula phrasi, in personalem injuriam non debet mutari. Qui inter pontificios Thomæ Aquinati, quem pro sancto colunt, dogmata falsa, atque etiam hæretica attribuunt, nolunt tamen id in contumeliam tanti, ut ipsis quidem videtur, Divi redundare: v. Tractatum theologorum Parisiensium contra errores Joh. de Montesono, subnexum Magistro sententiam. neque qui durius quid dicunt de anabaptismo (quod omnes jam facimus) injurii esse censentur in S. Cyprianum, qui illum imprudenter asseruit. M. Ant. Ullmus Patavinus medicus nobis theologis hac in parte exemplo esse poterit. is ergo Tractatu suo quem Physiologiam barbæ humanæ inscripsit, cum inter alias opinionem quandam I. C. Scaligeri (quem suo merito maximi faciebat) sibi convellendam videret, nempe pilos quosdam esse inutiles, vel etiam impedire usum vitæ; *Non possum inquit, non dolere, & ingemiscens humani generis miseriam in errores adeo proxi. si ruunt viri sapientissimi & prudentissimi, an ipsi stabimus? monet nos aliorum ruina nos quoque ruituros. propterea & scribentes & agentes equitate potius quam rigiditate aliorum excipiamus opiniones vel opera,*

opera. Nam erit necessitudo officii: concedent alii, si prior tu ipse alii concesseris. hæc de persona præfatus, nihilominus statim subjungit: *CRIMINOSA est hæc propositio in ipsam NATVRAM.* & postea ait esse *CALUMNIAM* adversus natura majestatem pronunciatam, contra quam cum multis egisset, etiam adductis quibusdam circumspectius dictis ab ipso Scaligero, concludit Scaligerum in censura pilorum memoria potius quam ingenio lapsum fuisse, utpote propriæ circa res similes doctrinæ parum memorem. & addit: *Hoc autem quicquid est erroris (modo error existat) hujus herois, detur infinitis ejus aliis meritis in opera studiorum veritatis, ac tali viro doctrina incomparabilis, ingenuitatis augustæ, quantum gratiæ habendum est ob diligentiam atque sedulitatem, tantum nobis retinere libertatis licuerit ad judicandum ob veritatem.* idem nobis concedi æquum est in causa Poimenandriana. Absit (& abest à me) animus injuriam inferendi optimis & doctissimis viris, sententiam tamen suam aliquam, quam pro erronea habemus, qualis nostro judicio est, talem nominari ægre ferre non debent. absque hoc enim nulla disputatio potest consistere. Porro quod mihi ipsi contradicam, fervide quidem à viro docto affirmatur, sed languide probatur. quis enim præter ip-

sum videre potest hæc duo esse contradi-
 ctoria: *Creatura potest operari contra na-
 turam: Creatura non potest operari supra
 naturam?* magis quam illa duo quæ ex sua
 sententia immediate ipse subjungit: *Deus
 operatur supra naturam; Deus non operatur
 (absolute) contra naturam.* quanquã Deum
 etiam contra naturam agere tum ex nostro
 exemplo. tum sensu licet diverso, tamẽ sano,
 ex Bonaventura modo apparuit. quæ de po-
 tentia obedienciali adjicit, quam iterũ cum
 naturali confundit, jam ante sunt excussa.

Demonstrata à nobis inconsequentia à
 NATURA ad LEGEM NATURÆ, accedimus
 Disp. I. thes. 8. ad inquirendum an lex na-
 turæ hic locum habere possit. ubi primo
 notamus differentes definitiones ejus, qua
 à Jurisconsultis qua à Theologis allatas.
 & in quibus descriptio. Jurisconsultorum
 videatur deficere ostendimus. quod appro-
 bat vir doctus, ac nihil præterea in hanc
 totam thesin affert. itaque firma per eum
 manet ratiocinatio contra Borsium, qui
 naturæ ordinem de quo hic agitur, etiam
 à bestiis observari dixerat, ut observatum
 thesi 6. & hic à nobis refutatum. Salva
 igitur nobis hac tota thesi, progreditur ad
 ix. in qua definitur Ius naturale secundum
 Theologos, quod videlicet, *ratione natu-
 re rationalis omnibus hominibus inter se
 commune est.* quæ definitio an constet ver-
 bis

bis propriis, & definitum sufficienter explicet, nonnihil ambigit vir doctus. Nam, inquit, quando quis audit legem natura dicitur illud, quod ratione natura rationalis omnibus hominibus inter se commune est, & ius illud postea ab auctore hoc omnium cordibus inscriptum esse dicitur, iuxta quod se accusant vel accusant: facile eo adducetur, ut credat ea omnia non esse legis natura quorum plurimi nec habent nec unquam habuere notitiam. At sic judicare esset errare. Nam multa sunt conclusiones quae sunt legis natura, quarum multi non habent notitiam, & quidem conclusiones non tantum secundi, sed etiam primi generis, id est tales, quae respectu aliarum conclusionum rationem principiorum habent, ut patet ex iis quae supra dicta sunt. Resp. Mirum est virum doctum ita nude hæc invadere, quasi de meo cerebro exrompta essent, cum ea probarem verbis Pauli Rom. I. 32. & 2. I. 14. 15. non ergo mecum, sed cum ipso Paulo sibi hic rem esse sciat. Argumentum autem viri docti tale est:

Ius quod omnibus hominibus inter se commune, & omnium cordibus inscriptum est, omnibus notum esse debet: At multa sunt conclusiones quae sunt legis natura, nec tamen omnibus notae, Ergo tales conclusiones non sunt omnibus hominibus inter se communes, nec cordibus omnium inscriptae. In

quo syllogismo manifesta est ignoratio e-
lenchi. si enim quid contra definitionem
inferre veller, subsumendum ei erat: *At-*
qui jus natura non est omnibus notum. &
concludendum: Ergo jus natura non est
natura omnibus hominibus commune, nec
omnium cordibus insculptum. quod an sal-
va auctoritate dogmatis apostolici dici pos-
sit, judicent theologi. Porro quomodo
ea quæ hic dicit pateant ex iis quæ supra
à sese dicta ait, quærant quibus otium est,
ego enim invenire non potui. Pergit:
Addendum ergo fuit definitioni, aut saltem
post definitionem explicandum, quomodo jus
hoc de quo agitur ratione natura rationalis
omnibus hominibus commune sit: & quo-
modo jus illud omnium cordibus inscriptum
fit, an videlicet explicite secundum quadam,
& implicite secundum alia. Resp. Non
opus fuit me hæc omnia explicare, qui nec
ex professo hic de jure naturæ agebam, sed
tantummodo in quantum facit ad præsen-
tem quæstionem, nec commentaria scribe-
bam, sed theses. viro docto hæc, vel quæ-
cunque collibitum est, pro medio termino
sumenda erant, quo impugnaret datam ju-
ris naturalis definitionem. hoc non facit,
itaque quæstiones suas ipsi relinquimus.
neque enim quæstionibus evertuntur defi-
nitiones, sed argumentis. Addit: *Deinde*
dicit vir doctus, legem hanc natura continere
princi-

principia practica de licito & illicito : sed hoc non sufficit : nam etiam continet conclusiones quæ discursu ex illis principiis eruuntur. Resp. ut suâ monetâ viro docto solvam, dico, eam continere principia explicite, conclusiones implicite, .i. non actu sed virtute. illas saltem de quibus hic agit vir doctus, .i. quæ *per discursum* ex principiis eruuntur. eas enim non mere naturales nobis, sed aliquo modo acquisitas esse, res ipsa evincit.

Veniamus ad rationes meas. eas thesi VI. duas esse ait. cum revera tres sint. nam quæ militat adversus *intrinsicam malitiam*, de qua thesi nostra 12. etiam huc spectat, cum *lex natura* participatio quædam sit *legis aterna*, v. Thom. 1. 2. q. 91. a. 1. hæc autem jubet ea quæ intrinsicam rectitudinem, & vetat quæ intrinsicam & inseparabilem pravitatem continent. qui ergo dicit aliquid habere intrinsicam malitiam, etiam legi naturæ id repugnare dicit. verum duas quas impugnat vir doctus rationes consideremus. Prima est: *Quæ legis natura sunt, ea ab Adamo servata sunt in statu integritatis: At Adamum tum commam attondisse nulla probabilitate nititur, cum nec ferramenta adhuc reperta essent, sed multo post. v. Gen. 4, 22. itaque non est hoc legis natura.* Excipit vir doctus 1. *Majorem non esse universaliter veram.* Nam

quadam (inquit) praecepta legis natura absoluta sunt: quaedam vero, ut sic loquar, hypothetica, quae non obligant nisi positis ponendis. & mox: Primum probare debuisset auctor hic Adamum habuisse in statu (integritatis) comas tales de quibus disputatio est. Deinde Adamum habuisse in statu integritatis (etiamsi vel maxime habuisset tales comas) instrumenta quibus comas illas tonderet. Resp. ponenda ergo, de quibus agit vir doctus, sunt coma qualis hic controvertitur, & instrumenta quibus ea tondeatur. si alterutrum deficiat, negat tene-ri ad impletionem legis. Probo ergo primum: Adamus comam habuit qualis inter me & Poimenandrum controvertitur, quia nec ad millesimam horae partem potuit in paradiso esse, quin coma cresceret, atque ita limites quos ei statuit Poimenander transiret, 2. instrumentis ad eam ton- dendam si caruisset (posita adversarii opi- nione) dedisset ei Deus legem, & media ad eam praestandam denegasset, quod est con- tra felicitatem status illius. ut alia quae in- de sequuntur absurda taceam. Exemplis porro quibusdam vir doctus objectionem suam illustrat. Sic, inquit, legis natura est, ut vir uxori reddat debitum conjugale. An ergo hinc colliget auctor hic, Adamum in statu integritatis operam dedisse liberis? Resp. 1. Lex reddendi debiti obligat qui- dem

dem *semper*, sed non *ad semper*, quia ejus causa, puta generatio, non requirit continuum actum. ideo si maxime ea Adamo data fuisset, non tamen injunctum ei erat eam exequi in paradiso, præsertim si exiguo tempore, puta uno tantum, vel certe paucis diebus, ut plerisque visum est, ibi fuit. v. Aug. de Gen. ad lit. l. 9. c. 10. De Civit. Dei lib. 14, c. 21. seqq. 1. Retract. c. 10. 13 19. contra lex de tondendo (posita adversarii hypothese) non solum *semper*, sed *ad semper* Adamum obligasset, quia causa ejus, puta incrementum capillorum, nunquam cessat. 2. Ne data quidem fuit illa lex Adamo. nam *τὸ Crescite & multiplicamini.* Gen. 2. 28. non fuit præceptum, sed *benedictio.* ut ibidem expresse dicitur. alioqui & avibus & piscibus idem præceptum datum fuisset v. 21. 22. qui tamen legis non sunt capaces. & prohibitus fuisset naturali lege cœlibatus, quod Iudæi perperam sentiunt. v. Seld. de Jure nat. & civ. secund. Hebr. l. 5. c. 3. 3. Licet, si Adam perstitisset, generatio liberorum etiam in paradiso futura fuisset (quod non arbitrator virum doctum negaturum) tamen ad hoc ipsum præcepto, vel ei vel ejus posteris non fuisset opus, non magis quam ad edendum, bibendum, dormiendum, quæ licet sint *naturalia*, tamen ideo ea *legis* esse dici non potest. 4. Quod Paulus ea de

re præceptum dat, id pertinet ad statum peccati, causam enim addit: *διὰ τὴν ἀσχημίαν ὑμῶν. propter incontinentiam vestram.* 1. Cor. 7. 5. licet in nomine debiti rationem quoque peti ex naturali æquitate, quæ sancit unicuique dandum esse quod sibi debetur, non inficiemur. sed hæc ratio etiam reperitur in omnibus legibus humanis & contractibus forensibus &c. qui tamen ideo non dicuntur esse juris naturæ. Alterum exemplum viri docti est: *Legis natura est ut nuditatem nostram tegamus: an hinc colliget auctor hic, Adamum & Evam in statu integritatis, cum nondum probrosa esset per peccatum, suam texisse:* Resp. 1. Si nuditatem tegere esset juris naturæ, scivisset hoc Adam in statu innocentia, atque etiam fecisset, neque enim hic ut novacula ad tondendum, ita foliis ad se velandum carebat, At non fecit. 2. Si nuditatem tegere fuit introductum in pœnam peccati, non est hoc juris naturæ, quia jus naturæ est hominum non qua peccatores, sed qua homines sunt, .i. qua ratione præditi. 3. Si nuditatem tegere sit juris naturæ, male fecit ille adolescens qui nudus aufugit Marc. 14. 52. male Petrus qui nudus piscabatur. Joh. 21. 7. male qui nudi cubitum eunt, male qui lavantur, male qui medicis vulnera sua denudant. per hæc enim omnia jus naturæ periclitaretur, 4. Si nuditatem te-
gere

gere sit juris naturæ, in resurrectione jus naturæ violabitur, nudi enim resurgemus, & vestium in cœlesti gloria nullus usus erit. Quis ergo non vider usum vestium non ad legem naturæ, sed modestiæ, prudentiæ, ædificationis pertinere, & quidem peccato interveniente, licet ex naturali honestate ratio communis ad particularem illum casum accommodari possit? id autem fit per viam determinationis, non per viam conclusionis absolute. Tertium viri docti exemplum est: *Legis natura est, ut indigentibus eleemosynam demus: An ergo inde colliget auctor Adamum dedisse eleemosynas?* Resp. Eleemosynam dare non est juris naturæ, quia tantum pertinet ad statum peccati. nam ante eum non erant indigentes, ideo nec esse poterant eleemosynæ. Permiscet perpetuo vir doctus jus naturæ cum iis ad quæ in hoc vel illo casu illud applicari potest, & conclusiones cum determinationibus imprudenter confundit. quo ejus agendi modo semel recepto, nulla deinceps distinctio inter jus naturale & positivum, sive illud sit humanum, sive divinum, erit. ad hoc enim astringimur virtute principii practici naturalis; *Deum colendum esse, ad illud virtute alterius itidem naturalis, unicuique suum tribuendum.* nec tamen ideo leges quasvis positivas esse juris naturæ quisquam unquam nisi erran-

do sibi persuasit. & hæc de propositione nostra Majori.

*Minorem quoque nostram ait incertam esse: Et quamvis, inquit, verissima esset, non valet tamen ratio qua ea probatur: Nam quomodo novit auctor hic, Adamum nulla prorsus habuisse ferramenta? Resp. Minor hæc erat: At Adamum tum comam attondisse, nulla probabilitate nititur. Si hæc incerta est, proferendæ sunt ei qui contrarium tueri vult rationes quibus hoc saltem probabile reddat. quod cum non faciat vir doctus, per illum manet inconcussa. Ad rationem meam quod attinet, facili ea negotio se ab opposita quæstiuncula expedit. Si enim ferramenta Adamus habuit in statu integritatis, ea vel à Deo creata fuerunt, vel ab ipso fabri facta. prius non dicet, ut arbitror, vir doctus, neque invenitur in historia creationis: posterius quoque nullam habet verisimilitudinem: cui enim vel per somnium hætenus in mentem venit, Adamum in paradiso artem fabrillem exercuisse? malleum, forcipem, incundem fabricasse, ut sibi forficulas aut novaculam attendendo capiti compararet? & quomodo hoc onus ei post peccatum demum impositum est Gen. 3. 19. *In sudore vultus tui vescitor cibus*, si jam antea opificium maximi sudoris in paradiso exercuerat? mitto cotes, mitto folles qui ad hoc
requi-*

requiruntur. Pergit : Certe enim (ferramenta) habuisse, aut aliquid quod ipsis esset analogum, liquere videtur, ex eo quod Gen. 2. vers. 15. hortus impositus fuisse dicitur ad colendum eum : praesertim si statuas diutius (quod tamen probabile non videtur) in statu integritatis fuisse. Quomodo enim hortum colere potuisset, sine ullo prorsus ferramento, aut eo quod ferramentis analogum esset? Resp. Quantopere hic fluctuet vir doctus, apparet 1. ex eo quod alternet inter hæc duo, vel *ferramenta*, vel aliquid *analogum* habuisse. 2. id liquere dicere non auit, sed liquere *videri*. 3. argumentum sumat ab eo, quod ipsi *probabile non videtur*, nempe à diuturniori perseverantia Adami in statu integritatis. nec mirum sane, nam sententiam propugnat, quam pro vera non habet, ut supra ostensum, ei propugnandæ conveniunt argumenta, quæ ne probabilia quidem esse ipse videt & fatetur. Ad rem ipsam quod attinet. 1. nego ab instrumentis quibus terra, obsequens adhuc & delicata, dirimi potest, ad instrumenta quibus caput tondetur aut raditur consequentiam duci posse, nam terram etiam nunc vel suis rostro, vel talpæ videmus disjici, quibus tamen nemo ad capillum ressecandum, si sapit, utetur. ad illud igitur quovis ligno v. g. potuit uti primus parens, quod ad alterum tamen usum

non

non valet. 2. præceptum de colendo hortu, ex eorum natura est, quæ non obligant *ad semper*, sed ad illud tempus quo hortus culturæ indigeret. quis autem credat, eum à sapientissimo hortulano, .i. Deo ipso plantatum, unius aut alterius diei spatium ita degenerasse, ut nova cultura indigerit? nemo certe. at alia ratio est de capillis, ut supra visum. Pergit: *Dicitur quidem Gen. 4. 22. Thubalcainum acuisse omnem fabrum aris & ferri. sed sensus huius loci non est, Thubalcainum prima ferramenta invenisse, sed artem inventam in majus auxisse.* ad hoc probandum adducit explicationem Iunij ad illum locum. Resp. Cur versionem & opinionem Iunianam hic aliis præferat, præsertim Hebræorum magistris, nulla ratio est. Audiamus ex ipsis differentem Mercerum: *Hic sane, juxta Hebræos ingenio Caini præditus, arma INVENIT ad eadem comparata. & mox: Pro eo quod in aliis dixerat, is fuit PATER statim subdit in accusativo שׁוּלְ אַעֲוֵן acuentem, expolientem omne OPIFICIUM aris & ferri. q. d. omnia instrumenta araria & ferraria quibus fabri utuntur ad opificium & artem suam. q. d. EXCOGITAVIT & rationem docuit acuendi & expoliendi hæc fabрили opificio accommodata, scilicet omnia instrumenta aris & ferri.*

Et po;

Et postea: *Non desunt ex Hebrais, qui*
 יבן *velint hic repeti ex superioribus, ut*
 R. Isaac: PATREM OMNIS ACVENTIS,
 &c. mitto reliqua. è quibus certum est, licet
 nonnihil in exponendo variant Iudæi, in
 rei tamen summa convenire, .i. originem
 hujus artificij ad Thubalcain communiter
 referre, ne Hellenistis quidem exceptis, ut
 patet in Iosepho. sequuntur eos hac in par-
 te & Christiani in sacro idiomate principes
 viri, Lyra, Munsterus, Fagius, Vatablus, &
 nobiles utriusq; partis Theologi, Tostatus,
 Lutherus, Calvinus, Musculus, Marloratus,
 Paræus, Corn. à Lapide, Goulartius, Rive-
 tus, quibus addi potest, is qui de rerum IN-
 VENTORIBVS ex professo scripsit Polydorus
 Virgilius. Hosce omnes si ad nomen (in-
 signis de cætero viri) Francisci Iunij, arma
 abjecturos & loco cessuros vir doctus pu-
 tet, in magno, ut ego quidem arbitror,
 errore versatur.

Adhæc, si maxime sententia Iunij vera
 esset (id quod non damus) contra indu-
 ctam à nobis rationem aliquid obtineret
 vir doctus, nihil tamen contra sententiam
 nostram, neq; pro opinione quam defendit:
 nam Iunius negat quidem sine ferramen-
 tis agriculturam exerceri potuisse, sed cau-
 te addit, SALTEM EX QVO TERRA MA-
 LEDICTA EST. at nos hic disputamus de
 statu integritatis, cum terra maledicta
 nondum

nondum esset. Pergit: 2. *An nulla (inquit) alia sunt media minuendi comas quam ferramenta? nota est historia Dionysij Sicilia tyranni.* Resp. At illa historia Adamo quam apte conveniat vide. tyrannus ille, quod undique sibi imminentem necem, ob admissa scelera, timeret, nec quomodo sine periculo pilorum incrementum compesceret videret, tandem ardentibus nucum putaminibus sibi genas ustulavit. 2. Possẽm quæzere ex viro docto, satin' certus sit, ignem jam tum in paradiso in usu fuisse? unde vero hoc habet? & quæ ejus fuit necessitas? certe perquam tardam ejus inventionem fuisse arbitrantur auctores pagani, Plinius, Diod. Siculus, Vitruvius, alii, quibus haud assentior. nam Adamo post lapsum inservivit in sacrificiis. At Christiani postquam is paradiso ejectus est inter alia vitæ ærumnosæ necessaria, ignem ejusque usum adinvenisse censent. Videatur *Barrasius Hebdom. 2. die 1. tit. Les artifices.* & ejus Commentator *Simon Goulartius Theologus.* hæc observatio etiam valet adversus artem Adami fabrilem, de qua antea. 2. ponamus ignem in paradiso fuisse, an eo sibi Adamus caput ambussit? hoc sine dolore, sine fostore, sine deformitate fieri potuit? Habeat ergo sibi artem se dignam *Dionysius, absit, absit, à paradiso ut summæ innocentis, ita omnis pulchritudinis*

&

& amoenitatis loco. Pergit: *Si ratio hæc stringit, quæram quomodo Adamus & Eva, & reliqui donec ferramenta inventa fuere, ungues manuum pedumve imminuere potuerint? forsitan morsu sibi eos invicem arrosere,*

Resp. 1. Quæstio hæc proponenda erat Poimenandro, is enim in incremento unguum non incommodum modo, sed peccatum statuit. ejus ergo est de medio dispicere quod id de paradiso in statu innocentia arceatur, nos in incremento unguum ut nullum peccatum, ita in tam exiguo, utpote tam exigui temporis quo Adamus fuit in paradiso, nullum incommodum, nec necessitatem eas amputandi reperire possumus. 2. quod ad statum eorum ac subsequendum extra paradysum, quanquam licet in tam obscuris, ut opinor, aliquid ignorare, nec ad interrogata, sed ad argumenta teneat respondere, multum tamen abest ut ad ridiculum illud medium quod affert vir doctus confugiamus. Si enim jumentis dum per asperas rupes ambulant, unguæ, ut ait facetissimus mortalium, deterantur usque ad genua, quomodo prisca illi homines vel pumice, vel aspero alio lapillo unguum luxuriam quoties libuit cohibere non potuerunt? dixi id quod sponte se mihi offert, nam alia eos & necessitas, & ingenij ad omnia intenti acumen, & Dei *φιλανθρωπία* benignitas edocere potuit. Claudis epi-
phone;

phonemate: *In fumos ergo abiit hac ratio, & evanuit.* Resp. Multum fumi excitasse virum doctum, in cudendis ferramentis, & amburendis crinibus, lectores vident, sed is rationem meam secum abripere non potuit, quæ eo etiam firmior est, quod licet omnia instrumenta minuendi comam & ungues in paradiso fuisse probare posset, id tamen non pro Poimenandro, sed contra eum faceret cum usus illorum instrumentorum, incrementum capillorum & unguium præsupponat, atque ita peccatum statuatur, antequam primum peccatum de quo Gen. 3. commissum esset. quod manifeste absurdum est in Theologia. & hæc pro prima nostra ratione.

Secunda est: quæ sunt legis naturæ, ea propter necessitatem corporalem transgredi non licet. At præceptum de attondenda coma, secundum adversarios, licet transgredi, propter varietatem complexionum. Poim. p. 337. propter imbecillitatem. pag. 340. 349. 364. propter luctum. Borst. p. 33 50. ergo id non est de lege naturæ.

Vir doctus primo minorem hujus argumenti, mox majorem discutit. de minori, *Transgressio, inquit, dupliciter sumi potest, vel proprie, vel improprie. sive, formaliter, vel materialiter tantum. Quod si auctor hic priori modo vocem transgressionis sumat, falsissima est minor. Quis enim eorum quos sibi*

sibi adversarios vir doctus delegit, unquam dixit, licitum esse, manente obligatione de attondenda coma, comam non attondere? quod si posteriori modo vocem transgressionis sumat, i. catachrestice loquitur, atque adeo meminisse debet, sui muneris esse, etiam adversariorum verbis, benigniorem interpretationem non denegare, ubi eam admittunt.

Resp. Distinctio hæc in iis quæ ita contra naturam sunt ut honestari non possint locum nullum habet, in iis enim omnis transgressio materialis, etiam formalis est, & formaliter peccatum. at talis est coma viri prolixa apud Poimenandrum, est enim ita contra naturam, ut illa quæ sugillantur Rom. i. 26. Quamvis ergo hæc duo non jungat in una sententia, nempe licitam esse comam, manente obligatione tondendi, tamen utrumque statuere cogitur, nam ex natura peccati hujus sequitur obligatio perpetua, & ex ejus concessione, obligationis illius relaxatio, quæ duo simul consistere non possunt. Quod me catachrestice ait loqui, si transgressionem *materialiter tantum* accipiam, primo me non tangit, quia hoc non facio, ut patuit. deinde, non major in eo esset catachresis, imo aliquanto minor, quam est in verbis Christi Matth. 12. 5. ubi dicit, *Sabbatis Sacerdotes in templo sabbatum PROFANARE, & inculpabiles esse.* ex postremis verbis

bis

bis apparet vocem *profanandi tantum materialiter* à Christo accipi. hoc ergo etiam in negotio de quo agimus liceret. Et hæc esset benignissima verborum Poimenandri acceptio, ut consideranti facile apparebit. unde subit mirari, quomodo vir doctus, & cam à me requirere, & tamen acceptio- nem illam improbare possit. Quod cum morfu quodam, me viros illos quos cito, *mihì adversarios delegisse* ait, sciat nullum hic delectum esse, cum vel solos vel præci- puos alicujus sententiæ auctores pro ea cito, imo hoc protsus necessarium fuisse, nisi (quod negligentius hic agentibus protinus solet objici) aërem ferire, aut umbram meam oppugnare velle videret. deinde suæ admonitionis vicissim virum doctum com- monefacio, ut videlicet vocem *adversarii* in benigniorem partem interpretetur, quæ in disputationibus, non hostem, sed adver- sariæ sententiæ defensorem semper significat. *Sine adversario*, ait Cicero lib. de Fato, *nulla luctatio est. ita ego, nulla disputatio.* Occurrunt mihi hic verba gravissimi philo- sophi Jac. Zabarellæ in fine Apologiæ de doctrinæ ordine, adversus philosophum item insignem Franc. Piccolomineum: *U- tuncque*, inquit, *sit, ego quidem Dei immor- talis beneficio ita me affectum sentio, ut meo- rum dogmatum oppugnatores æquissimo ani- mo semper tulerim, semperque laturus sim:*
utque

utque nullius amici tanta apud me auctoritas est, ut mihi verendum putem adversus eum pro veritate disputare: ita nulla adversum me pro veritate disputatio institui ab aliquo potest, qua quidpiam de amicitia nostra, ac de mea erga illum benevolentia detrahatur. ADVERSARIUS appellari in philosophando non recuso, inimicus nemini esse volo. Hoc ipso animo erga omnes literatos viros quum sim, eodem erga me esse eos omnes cupio, ut salva mutua benevolentia possimus ad communem studiosorum utilitatem de philosophia libere controversari. O niveum pectus, & prorsus de meliore luto! Discamus hoc à pontificio reformati, à philosopho theologi. & hæc quidem ad minorem meam propositionem. Majorem meam ita invadit: *Negatur major. nam certe quadam præcepta legis naturæ talia sunt, ut posito casu necessitatis non obligent; non quod tum aut abrogentur, aut de iis dispenset Deus, sed quia mutatio fit in materia præcepti.*

Resp. jus naturæ in casu necessitatis **CORPOREÆ** (hoc expresse additum est in majori mea) non obligare, prorsus nego. videamus quomodo id probet. Intellexit hoc, inquit, Franciscus Junius, qui cum docuisset, distinctionem vestium virilium & mulierum esse juris naturalis, tandem ita ait: *Ex quo sequitur, nulla occasione id quod Dei bene-*

bene-

benefacito, quod natura, quod naturali or-
dini & honestati adversatur, unquam legi-
time tentari posse. Huius tamen honestatis
naturalis ea ratio est, ut si HONESTAS PRI-
VATA cum PRIVATA UTILITATE compa-
rabitur: HONESTATEM pluris quam
UTILITATEM fieri oporteat: sin autem
HONESTAS hac cum PVBLICA VTI-
LITATE concurrat, aut cum gravi ulla
NECESSITATE PRIVATA aut PVBLI-
CA, tum PVBLICÆ UTILITATI aut
NECESSITATI HONESTATEM O-
PORTET CEDERE. Aliud enim est ho-
onestatem absolute considerare, aliud compa-
rate. Nam si cum rebus inferioribus com-
parabitur, honestas præponderat: si cum su-
perioribus & gravioribus, æquum est cedere
honestatem privatam hanc atque consimi-
les. Resp. Cogor exclamare: O Iuni,
ποῖόν σε ἐστὶ φέρειν ἐξ ὀδόντων; &, ô vir
docte, tantine fuit controversia capillaris,
ut illius nomine disertis verbis Utili præ
Honesto palma deferretur? quid? ullam
utilitatem præsertim CORPORALEM, de
qua hic nominatim agitur, tantam esse
posse, ut DEI BENEPLACITO, NA-
TURÆ, NATURALI ORDINI & HO-
NESTATI præponderet? Audiatur po-
tius Christus Matth. 16. 26. Quid prodest
cuiuspiam, si MVNDVM lucratus fuerit ani-
ma vero sua mulctetur? id quod fit quan-
do

do quod *honestum* est (prout hic ea vox à Iunio sumitur) ei quod utile postponitur. audiatur Paulus Rom. 3. 8. ubi *negat facienda mala* (aut consequenter, honesta negligenda) *ut eveniant bona*, etiam SPIRITUALIA, nedum corporalia. At utilitas, inquit, hic consideratur ut *publica*, honestas ut *privata*. publica autem privatis anteferenda. Resp. publicam UTILITATEM privatæ UTILITATI anteferendam, nemo nescit, at publicam UTILITATEM privatæ HONESTATI anteferendam ne Ethnici quidem saniores concesserunt. *Iaceat* (inquit Cic. de Offic.) UTILITATIS *species*, *valeat HONESTAS*. idem ib. *Pervertunt homines ea que sunt fundamenta NATVRÆ*, *cum utilitatem ab honestate sejungunt*. quid quod NECESSITATEM etiam PRIVATAM si GRAVIS sit, inter ea ponat Iunius quibus HONESTATEM cedere oporteat? licebit ergo honestatem saltem negligere ob periculum mortis, qua nulla necessitas gravior. At pulcre Tertull. de Coro. mil. *NVLLA est NECESSITAS delinquendi, quibus VNA est NECESSITAS non delinquendi*. Porro, quod distinctionem vestium virilium & muliebrum juris naturalis esse *asseruit* Iunius, fatemur, quod *docuerit*, .i. probarit, negamus, neque id verum esse credimus, cum nec vestes ipsæ sint juris naturæ, ut paulo ante ob-

serva-

servatum. Pergit: Sed quia forte testimo-
 nium hoc doctissimi viri parum ponderis in-
 veniet, aliter mihi agendum video. Resp.
 Recte arbitratus es. licet enim (quod qui-
 dam ait) mala rei bonum auctorem quæsi-
 visti, non tamen (quod Hieron. de Ori-
 gine, viro itidem doctissimo. ait) ita debe-
 mus bona ejus recipere, ut mala quoque re-
 cipere cogamur. meliora ergo argumenta
 expectamus. Quæram itaque, inquit, utrum
 licitum sit, manum pedemve sideratione in-
 curabili laborantem cum manifesto vita pe-
 riculo nisi abscindatur, ex consilio pruden-
 tum medicorum Chirurgo artis suæ peritæ
 secandum dare? Quod si neget vir doctus li-
 citum; dicam totius majorem esse rationem
 habendam quam partis, ipsa natura atte-
 stante: & adjiciam, posita negatione viri
 docti, Medicos & chirurgos qui huic rei ope-
 ram navant, graviter peccare in præceptum
 de non occidendo, atque opera pretium fore,
 si vir doctus thesibus, aut alio scripti genere,
 doceat quam non faciendum sit quod faci-
 unt, ut in posterum ab hac artis suæ parte
 abstineant, & sectiones tales, si quas insti-
 tuerint, sibi à Deo condonari petant. Si af-
 firmat; cogetur dicere, aut legem de non
 mutilando se ipso, non esse legem naturæ,
 quod falsissimum foret: aut legem eandem,
 quamvis naturæ sit, in casu necessitatis non
 obligare. Resp, Si negarem id licitum esse,
 proba-

probationem viri docti negationi illi oppositam minime timerem. Nam axioma illud: *Totius majorem rationem habendam quam partis*, eatenus tantum reciperem, nisi partis neglectus cum peccato conjunctus sit. & sic cogeretur vir doctus probare, amputationem manus sideratæ non esse cum peccato conjunctam. quod tamen hic est in quaestione. Verum non nego id licitum esse, ideo nec est operæ pretium medicos & chirurgos hic peccati sui commonefacere. quamobrem altera pars dilemmatis diluenda est. ad quam dico, legem de non occidendo, non esse eo modo legem naturæ, quo ea vox accipitur in re proposita, statuit enim Poimenander longitudinem capillorum virilium ita esse contra legem naturæ, ut sunt flagitia de quibus agit Paulus Rom. 1. 26. quæ flagitia non possunt honestari: at cædes, etiam proprii filii, honestari potest, ipso viro docto supra id monstrante. multo magis mutilatio alicujus membri (si modo manus siderata vere membrum sit) ad mortem non inferendam, sed præcavendam. Quæ sequuntur, tergiversationes sunt in verbo *transgrediendi*, quo auctores quos cito usos esse negat. at ego de re ipsa loquebar, non in vocabulo insidias struebam. nam qui comam alit is legem de ejus brevitare *non observat*. quæ *saltem transgressio* (ut vir doctus loquitur)

E

MATA-

materialis est: ex qua in re proposita etiam formalem necessario sequi, supra vidimus. fateor unum ex locis citatis agere de usu capillorum ascitiorum, & unum item de tonsura comæ muliebris. sed quia omnia hæc non minus quam prolixitatem virilis comæ naturæ legi adversari ajunt, omnium eadem est ratio. Quod Borstius non approbet expresse exemplum Iosephi, frigide excipitur. cum enim adjicit, exemplum hoc *non juvare comatos*, pro omni ratione affert, quod hi non minus in gaudio quam in luctu comati sint. (.i. quod non idem faciant quod Iosephus) at si illicitum aut dubii juris putasset illius factum, dicendum saltem erat, non exemplis sed legibus vivi. nec IN POPULO DEI (quod addit) id obtinuisse dixisset, cum more Ægyptiorum aut necessitate carceris id forte à Iosepho factum cum aliqua probabilitate potuisset excipere. locum ultimum nihil de luctu habere agnosco, agit enim de *imbecillitate*, & illi est applicandus. Ad reliqua in superioribus abunde est responsum.

Quæ thesi VII à viro docto afferuntur de *intrinseca malitia*, de iis actum ad ipsius thesin II. neque hic repetentur. & hæc ad Disputationem meam primam.

CAPVT III.

Acceptio secunda vocabuli NATVRA, pro Iure gentium refutata. quomodo I C ti, quomodo Theologi, quomodo Poimenander jus gentium intelligant. Acceptio tertia NATVRÆ pro diuinitus statuto ordine, quo mulieri præ viro coma proluxa suppeditantur. ostenditur hic locum non habere, quia nihil Corinthios docet. Distinctiones actus signati & exerciti, ovidentiæ objecti & cognitionis, actualis & aptitudinalis &c. explosæ. Creatura non solum aptitudine, sed actu docent Dei potentiam & diuinitatem. Nec tantum benè, sed & pessimè dispositos. Non remisit Paulus Corinthios ad philosophorum libros, Nec per traditionem non scriptam de negotio capillari eos erudivit. Acceptio quarta NATVRÆ pro inclinatione naturali foeminarum præ viris. ponitur, sed non probatur. De poëmate Ioannis Casæ, de habitatoribus insula Formosæ.

Pergit thes. viii vir doctus ad disputationem meam secundā, ubi de secunda & tertia acceptance vocis NATVRA ago, Secunda mihi est, quæ dicit eam

E 2

signifi-

significare IUS GENTIVM. ita Poimenander locis quæ cito thes. 1. neque id negat vir doctus. Antequam autem accedat ad examen mearum rationum, *Poffem*, inquit, *ego hac miffa facere, quoniam in thefibus, meis non difputavi utrum natura loco de quo difputamus, jus gentium fignificare poffit necne.* Resp. Et maluillem hæc omitti à viro docto. quid enim attinebat, alienam litem fuam facere? & defendere quæ non credas? nam fi credidiffet vir doctus hanc fignificationem effe veram, cur illam, dum negotium hoc diligenter tractat, ne tetigerit quidem, nemo ut opinor, capere potest. cum vero hanc litem hoc loco fuam facere, inde apparet, quod hac ipfa thefi, *rationem fatis efficacem dari poffe ait, quare vox natura hoc fignificatu hic ACCIPIENDA SIT.* Veniamus ad rem ipfam. Thefi mea 2. & 3. quomodo jus gentium apud Iurifconfultos, quomodo apud Theologos accipiatur annoto. Secundum I C tos dixi, *jus gentium effe, quod folis hominibus inter fe commune eff.* hanc definitionem, quia ea omiffa tranfeo ad acceptionem theologorum, tacite improbavi. nam coincidit cum definitione *legis natura* prout à Theologis traditur (vide Disp. 1. thes. 9.) quamque politæ à I C tis definitioni præferendam effe vir doctus negare non fuit aufus. eam confufionem vitandam

tandam duxi, præsertim cum originem habeat ex falsa, aut improptia definitione juris naturæ. Ideo secundum Theologos dixi, hac explicatione (qua Natura dicitur significare jus gentium) priorem non excludi, sed aliquid ei superaddi. notare enim theologos naturam rationalem dupliciter spectari posse 1. secundum se & absolute, 2. quatenus degit in communi societate. jus naturale ei convenire priori modo considerata, jus gentium, secundo. Hisce non refutatis (quæ ideo adhuc stant inconcussa) aliter tamen sibi agendum putavit vir doctus. Jurisconsulti, inquit, jus gentium interpretantur quod gentibus commune est, neque brutis competit. Comprehenduntque nomine juris gentium, 1. jus naturale, quod est proprium rationali naturæ. 2. Jus quod gentes stabilierunt, & in quo gentes conveniunt, (& post citatos aliquot in eam rem auctores) Theologi vero, inquit, communiter à jure gentium excludunt jus naturale, non solum quod nobis quodammodo commune est cum brutis, sed etiam quod est proprium rationalis naturæ. Adeo ut nomine juris gentium tantum intelligant jus quod gentes stabilierunt, & in quo gentes pleraque conveniunt. Accedens autem ad rationes meas adversus Poimenandrum, defendit eum ex significatione apud ICtos usitata, eam autem quæ theologorum est, ab

eo removet, quasi ad eam nusquam respexerit. Resp. Hic absurdorum quædam seges est. Nam 1. quomodo I Cti possunt statuere jus naturale esse, quod est *proprium* rationali naturæ, cum illud definierint quod homini sit *commune* cum bestiis? *proprium* & *commune* quis conferruminabit? 2. quomodo theologi jus naturale dicent nobis quodammodo *commune* esse *cum bestiis*, cum id *restrinxerint* ad naturam rationalem? 3. quomodo id à jure gentium non modo distinguunt, verum & *excludunt*, qui tamen illud ab hoc derivari volunt, licet non per viam conclusionis, sed determinationis *EX HOMINVM CONSENSV*? quæ etiam causa est, cur id seorsim à naturæ jure consideratum, statuatur esse *simpliciter positivum, humanum, mutabile*. v. Suarez de legg. l. 2. c. 18. 19. 20. Imo Vazquez (quem etiam pro se citat vir doctus) non putat id præcise sumtum continere sub se *præcepta* aut *prohibitiones*, sed solum *concessiones, facultates, permissiones* aliquid agendi, non tantum impune, sed etiam *juste & honeste*, ita tamen ut contrarium *non sit turpe vel injustum*, Disp. 157. c. 3. quæ fatendum est cum opinionibus Poimenandri *διὰ πρῆδν* pugnare, sive Suarezij sententiam, sive Vazquezii amplectare. 4. quomodo sententia theologorum hic potest deferri, nisi deferta simul sententia I Ctorum? nam ut Theologi

logi nomine juris gentium intelligunt *jus quod gentes stabilierunt, & in quo gentes pleraque conveniunt*, ita & I C ti, teste ipso viro docto. At theologi, inquit, hoc tantum intelligunt, I C ti etiam aliquid amplius. esto. rejicit ergo Poimenander id in quo utrique conveniunt, & in quo propria sita est ratio juris gentium, ut vel ipsa phrasim evincit, ac retinet tantum id quod I C ti superaddunt, ac sic nec theologos nec I C tos sequitur, sed novam significationem juris gentium commiscitur, quam ne firumpatur quidem, a definitione juris naturalis potest distinguere. Hæc ita disputavi, quasi, quod vult vir doctus, solutio hæc esset Poimenandri, aut ex eius scriptis possit erui, verum haud ita est, nam vir doctus, cum aliud non posset, eam adinvenit, & Poimenandro nihil tale cogitanti obtrusit. ideo ita concludit: *Quod si vero jus gentium sumas pro jure quod gentes stabilierunt, & in quo gentes conveniunt, non ferit enthymema Poimenandrum. Neque enim uspiam (ut opinor) Poimenander dixit, se per ius gentium intelligere, ius tale, quod ex consensu gentium eis omnibus aut fere omnibus commune est. Committitur itaque ignoratio elenchi.* Resp. prudenter interjectum est illud, UT OPINOR. verum opinionem illam, si libet, deponat vir doctus, nam Poimenander p. 122. ius gen-

tium explicat per ea *in qua* GENTIUM
 CONSENSUS TACITUS OMNIUM
 CONSPIRAVIT. verbis Plinii lib. 7. c.
 57. ubi de Ionum literis agit. idque ap-
 plicans causæ capillari citat eundem c. 59.
Sequens GENTIVM CONSENSVS in
tonsoribus fuit. ac mox ex c. 60. *Tertius*
CONSENSVS fuit in horarum observa-
tione. Et concludens p. seq. *Ex hac in-*
quit, narratione, hæc tria sunt manifesta,
1. usum literarum, TONSORVM, & ho-
vologiorum procedere ex COMMVNI CON-
SENSV ET IVRE GENTIVM. Hæc vir
 doctus ignorare non potuit, nam thesi I v.
 Disp. II. ea indicaveram. ideoque, (quod
 mihi attribuit,) *elencham* eum ignorasse non
 dicam; licet fortasse ad eum, eum scriberes,
 minus attenderit. Reliqua quæ occurrunt
 hac thesi, hinc animadvertis sponte colla-
 buntur.

Pro tertia acceptione vocis NATURÆ
 attuleram Disp. 2. thes. 5. eam, qua natu-
 ra dicitur significare *Statutum à Deo ordi-*
nem, quo mulieri coma densa & proluxa sup-
peditantur, viro non item. vel, *natura o-*
pus, quo viri ac mulieris capita ita discer-
nuntur, ut huius sit aptissimum ad nutrien-
dam comam, illius vero prorsus ineptum.
 Ne hanc quidem sententiam viro docto
 certam ac indubitaram videri, inde patet,
 quod eam tantummodo ait *probabilitate*
 sua

sua non carere. Disp. 3. thes. 1. In eius
 oppugnatione alium mihi agendi mo-
 dum proposui quam ii qui ante me eam
 examinarant. ii enim in eo laborarant,
 ut ostenderent talem ordinem, & tale
 discrimen capitis virilis à muliebri nul-
 lum esse, in quo vir doctus se iis oppo-
 suit. Ego vero totam illam *σὺρραξίν* hic
 supervacaneam esse duxi, quia nihil fa-
 ceret ad mentem Pauli, atque ita ad præ-
 sentem quæstionem nihil attineret. hoc
 sic demonstravi: Natura de qua hic a-
 git Apostolus *docet Corinthios* in com-
 muni, idque tam evidenter, ut ipsi hoc
 negare non possint. quo spectat inter-
 rogatio Apostoli, tanquam ad ipsorum
 conscientiam provocantis; *Annon hoc.*
 ut recte observatum Borstio p. 35. At hic
 ordo Corinthios aut nihil, aut perobscu-
 re, & paucos eorum, si forte, docet: er-
 go hic ordo non intelligitur per vocem
 naturæ. Minorem probo: Natura in
 hac significatione sumta, *docere* dicitur,
 prout est res quædam ex cujus contem-
 platione cognitionem haurimus (verba
 sunt Dematii Disp. 2. thes. 1.) At hic or-
 do (respectu, inquam, Corinthiorum)
 non est talis res. ergo. prob. minor: vel
 enim cognitionem hauriunt ex contem-
 platione ejus ordinis, quatenus Deus
 eum instituit, & hoc non, neque enim

„ eis datum erat penetrare in secreta Dei:
 „ vel ex contemplatione causarum secun-
 „ darum, & hoc non, quia nec philosophi,
 „ nec anatomici &c. erant ii ad quos Pau-
 „ lus scribebat, sed homines maxima ex
 „ parte indocti & idiotæ. 1. Cor. 1. 26. vel
 „ effecto externo: & hoc non, quia comam
 „ virilem *consura* breviorē fieri in oculo-
 „ rum eorum incurrebat, at eam *natura* fo-
 „ re breviorē si sinerent crescere, videre
 „ non poterant, quia id inter ipsos non e-
 „ rat usitatum. Non ergo hæc significatio
 „ NATURÆ de qua Paulus agit esse potest.
 „ Ad hoc argumentum videamus quid si-
 „ gillatim reponat vir doctus. 1. Ad id
 „ quod dixi Naturam de qua agit Aposto-
 „ lus docere Corinthios in communi, ait
 „ thes. 1 x. *Dupliciter natura docet, vide-
 „ licet, vel in actu signato, vel in actu exer-
 „ cito: in actu signato, ratione aptitudinis
 „ quam habet ad cognitionem animis no-
 „ stris ingenerandam: & sic semper docet,
 „ etiamsi quis nihil proficiat. Psal. 19. v. 2.
 „ & seqq. aliquot. Act. 14. 17. Actū exerci-
 „ to, quando ea sensibus & intellectui nostro
 „ bene dispositis objicitur. Job 12. v. 7. 8. in
 „ illo sensu posse naturam docere, licet in
 „ hoc non doceat &c.* Resp. juxta hanc
 „ distinctionem cæcus interrogari posset:
 „ An non lumen solare te docet, cujus co-
 „ loris sit iste pannus? an non laterna tibi
 „ prælatæ.

prælatâ te docet, quâ via te incedere oporteat? licet enim cæcus nihil videat propter indispositionem, tamen & sol & laterna ad hoc aptitudinem habent quantum est in ipsis. At hoc non esset convincere cæcum de qualitate coloris aut viæ (prout Paulus per naturam Corinthios convincere intendit) sed eum deridere. Ut taceam, quod nec sol aptitudinem habet ad illustrandum cæcum, nec natura ista aptitudinem habet ad docendum Corinthios in communi, quæ duo in argumento conjuncti, nec erant divellenda. evanescit ergo commentum de actu signato & exercitio, quorum neutrum in re proposita comparet. Nec quicquam juvant loca citata ex Psal. 19. Act. 14. Job 12. quasi illa agerent de actu tantum signato sive aptitudine ad docendum, quod falsum est. nam vere & cum effectu creaturæ docent mortales Dei potentiam & divinitatem, ita ut eæ manifeste sint, non tantum in sese, sed in ipsis. ut quæ ab ipsis mente perpensa pervideantur, ita ut Deum norint. v. Rom. 1. 19. 20. neque solum de bene dispositis, nescio quibus, hoc verum est, sed de sceleratissimis quoque, qui eo pacto redduntur inexcusabiles. ut ibi Paulus. 2. Quod dixi, naturam de qua agit Apostolus Corinthios in communi docere tam EVIDENTER ut ipsi id negare non possint, quo spectet interrogatio

rogatio Apostoli tanquam ad ipsorum conscientiam provocantis &c. Distinguit inter evidentiam objectivam, & cognitionis, & utramque gradus admittere ait, priorem hic agnoscit, posteriorem negat. Resp. Distinctio hæc quæ cum priori fere coincidit, in re proposita locum non habet. qui enim ita evidenter quempiam docet ut ipse id negare non possit, utque ad ejus CONSCIENTIAM provocare audeat, in ejus doctrina est evidentia non modo obiecti sed cognitionis. Hoc facit natura de qua Paulus agit. ergo. Non igitur sufficit hic dicere: *Maior falsa est.* habet enim evidentem rationem in voce CONSCIENTIÆ, quæ sane cognitionis species est. verum addit: *Nec valet probatio qua eam fulcit. Male enim supponit quod eiusmodi interrogationes quali hic utitur. Apostolus semper dicant evidentiam cognitionis; cum saepe tantum evidentiam obiecti significent.* Plal. 94. 7. 8. 9. 10. Ies. 1. 11. 12. & c. 40. 25. & 46. 5. Resp. 1. Hic meminisse velim virum doctum, quoties mihi objecerit, quod hunc vel illum auctorem non nominarim cum sententias adversas citarem. nam ipsi, si id recte à me exegit, hic nominandus erat Borstius (à quo illam rationem desumsi, idque diserte indicavi) non ego. 2. nego illa loca quæ adducit, tantum evidentiam obiecti notare, nam eæ rationes quas David

vid contra atheismum, & Iesaias contra idololatriam &c. interrogando adducit, tales sunt, ut peccatores re ipsa in animis suis convincant atque condemnent. qualis etiam fuit interrogatio à Deo Adamo proposita Genes. 3. 11. *An de fructu illius arboris, de quo interdixeram tibi, ne comedas ex eo, comederis? Hoc* (inquit Borstius) *magis pressit CONSCIENTIAM lapsi Adami, quam si simpliciter dixisset: comediisti. Ea enim interrogatione efficacius CONVICTUS fuit, & in animo suo adauctus seipsum accusare. & mox: ita & magis urget ipsum cor, quod Paulus hic querit. An non natura ipsa vos docet? quam si directe dixisset, docet vos. illa enim interrogatione conscientia excitatur, eique auris vellitur, ad debite respondendum, atque ita ejusmodi quæsito homo movetur ad se ipsum redarguendum. hæc Borstius. quicum sibi rem esse sciat vir doctus, si distinctionem suam tueri velit. qua explosa concidunt omnia quæ ad Minorem meam propositionem excipit, ut patebit legenti. videamus tamen quomodo ejus probationem labefactare conetur: Probat tamē (inquit) vir doctus minorem hoc pacto: Vel hauriunt cognitionem Corinthij ex contemplatione ejus ordinis quatenus Deus eum instituit, vel ex contemplatione causarum secundarum, vel ex effectu externo. At nihil horum dici potest, Resp. N. minor.*

minor. Quia cognitionem illam habere poterant ex inspectione causarum secundarum, lectione librorum philosophicorum, & ex effectibus externis. Instat. Corinthij ad quos apostolus scribebat, nec philosophi nec anatomici erant. 1. Cor. 1. 26, sed maxima ex parte indocti & idiotae. Neque videre poterant comam virilem natura fore breviorē muliebri, si sineretur crescere. Quia id inter ipsos non erat usitatum. Resp. 1. Patet hinc auctorem hunc non de aptitudinali, sed actuali natura docendi vi, & contemplatione defectuosa agere. 2. Sufficit aliquos fuisse doctos philosophos, & in lectione librorum philosophicorum versatos, qui ex inspectione causarum secundarum & lectione librorum philosophicorum cognitionem illam haurire & alius communicare possent. 3. Saltem videre poterant Corinthij, etiamsi plebeji essent, praesertim Apostolo ipsos ad naturam revocante, mulieres ordinarie magis densam & minus deciduam habere comam quam viros. Pueri apud Gracos donec ex ephēbis excederent intonsum capillum gerebant. nec non Matris Deum sacerdotes, & cinadi (probat haec ex Salmasio) 5. Dici etiam potest, ipsum Apostolum apud Corinthios cum esset, ipsisque doctrinam hanc de modo orandi, & usu capillorum traderet, indicasse, quomodo ex ordine illo naturali cognitionem de qua quaestio est, haurirent.

Exami-

Examinemus hæc, nam scærent absurdita-
 tibus. 1. Quomodo redarguit Apostolus
 Corinthios in communi, ex libris philoso-
 phicis, quos non legerant? 2. quis cre-
 dat eum sutores à sutrina &c. vocasse ad le-
 gendos libros philosophorum? itane pere-
 grinus est ullus mortalium in scriptis Pauli,
 cui hoc persuaderi possit? 3. unde probat
 inter Corinthios fuisse aliquos doctos phi-
 losophos (physicos nimirum & anatomi-
 cos, de his enim quæstio est) nam ex eo
 quod Paulus subinnuat 1. Cor. 1. 26. aliquos
 saltem *sapientes secundum carnem* esse vo-
 catos, ex eo non sequitur ad physicos &
 anatomicos in specie. 4. si tales inter eos
 fuerint, unde probat ad eos Paulum reli-
 quam plebem ablegasse, quo physiologiam
 addisceret, cum contra sapientes de quibus
 agit, contemptus, non commendationis
 causa nominet? *Qua stulta sunt mundo,*
inquiens, elegit Deus, ut PVDEFACIAT
sapientes. vers. 27. & v. 19. 20. Scriptum est
enim, Abolebo sapientiam sapientum, &
intelligentiam intelligentium tollam è me-
dio. Vbi sapiens? ubi scribat ubi disquisitor
seculi istius? nonne infatuavit Deus sapien-
tiam mundi hujus? legantur sequentia, &
 apparebit, nihil alienius esse à Paulo quam
 Corinthios mundi sapientibus in discipli-
 nam tradere velle. 4. Exceptio hæc ener-
 vat argumenta nostra contra pontificios.

illi

illi enim, cum docemus omnibus Christianis libros sanctos legendos esse, ex eo quod totis ecclesiis ea res commendetur, respondent, sufficere paucos aliquos in scripturis versatos, ut reliqui ab iis doctrinam scripturæ petant. item cum contendimus laicis quoque calicem in cœna convenire, quia Paulus (in hæc ipsa epistola, imo hoc ipso capite ubi de coma agit) ad ecclesiam in communi ea de re scripsit, respondent, paucos aliquos sacerdotalis ordinis sufficere, qui id pro cæteris præstent.

5. Argumentum illud: *Paulus revocat Corinthios ad naturam: Corinthii autem videbant capillos muliebres minus deciduos esse quam viriles, ergo videbant id ex natura esse, nec figuram nec modum habet. nec ullum aliud, saltem solidius, ex verbis viri docti exsculpi potest. Ad rem ipsam quod attinet, Videbant Corinthii capillos virorum deciduos esse, verum per forficem & novaculam, non per naturam.* 6. Quod de pueris, cinædis, spadonibus affert, nihil ad rem facit. nam Paulus, de VIRIS agit non de PVERIS. teste ipso viro docto *Quæst. text. part. 1. Thes. 1.* deinde si ab illis ad viros argumentati fuissent Corinthii, contrarium quam quod vir doctus vult, intulissent, nempe viros æque comatos esse natura ac feminas. 7. Ultimum viri docti effugium est, ipsum apostolum Corinthiis

thiis indicasse quomodo ex ordine illo naturali cognitionem de qua questio est haurirent. quod si verum est, erit hæc traditio non scripta, quæ ad nos, quibus eam Paulus non insurravit, nihil pertinet. Quod in fine Theseos, se ab adversario adactum ait, ut ad philosophica illa descēderet, super vacaneum est. neque enim meum est carpere aut ægre ferre, si viri literati in his tabulis disceptandis ingenij vires experiantur, & eruditionis copias explicent, verum ea ad præsens negocium non spectare, invicto argumento, & quod vir doctus nullis machinis potuit convellere, per Dei gratiam demonstravi.

Succedat quarta vocis naturæ explicatio. ea autem NATURAM explicat NATURALEM INCLINATIONEM, .i. animi propensionem ad nutriendam comam. Hanc vir doctus Disp. text. 3. thes. 5. *probabilitate non carere* statuit. non habet ergo eam pro certa & indubitata, ac proinde, ita eam hic thesi 10. defendit, ut tamen ejus recipiendæ necessitatem nobis imponere nolit, licet magno molimine eam ab argumentis in contrarium allatis conetur liberare. videamus quomodo: *Rejicit* (inquit) *hanc vir doctus* 1. *quia inclinatio illa qua in mulieribus est ad nutriendam comam, à consuetudine, & aliarum mulierum exemplo esse dici potest, quemadmodum*

ad

ad hanc vel illam vestis formam inclinatur homines, quamdiu eam in usu esse vident, postea abjecturi. & respondet: Absurde, Nam similiter potero dicere, non esse inclinationis naturalis, ut homo erectus incedat, sed ab exemplo, Item, non esse ab inclinatione nature, ut homo in congressu maritali, conspectum aliorum hominum refugiat: sed ab exemplo. Et denique, non esse ab inclinatione naturali ut homo maxime refugiat ea peccata quæ specialiter peccata contra naturam vocantur, sed ab exemplo.

Resp. 1. Quam callide dissimulat, me argumentari hic exemplo Borstii, ut diserte Thesi 1 x. indicavi. cur igitur, in me, non in illum torquet sua tela? Nam omnia quæ in me dicit, etiam in illum dici possunt. cum videlicet absurde rejicere sententiam illam quæ naturam pro consuetudine accipit, quia multæ consuetudines non sunt à natura sed ab exemplo. nam eodem modo posse dici, non esse consuetudinis naturalis, ut homo erectus incedat, & reliqua quæ hic vir doctus addit. quis non videt, idem me adferre contra naturam pro inclinatione, quod ille contra naturam pro consuetudine acceptam? & eadem vi ac soliditate qua ille (nam veram ejus ratiocinationem esse non dubito) argumentari? 2. Nec Borstius, nec ego ita inconsiderati sumus, ut vir doctus videri vult. Non
ira

ita argumentamur, *rejiciendas* esse has acceptiones, quia quædam vel inclinationes, vel consuetudines sint ab exemplo, sed eas recipiendas non esse nisi probentur. probantur autem argumento tali:

Naturalis inclinatio potest dici natura,

At in mulieribus ad alendam comam est inclinatio naturalis.

Ergo ea potest dici natura.

Hujus syllogismi negatur minor. ad eam probandam tantum ostenditur in mulieribus ad hoc *inclinatio*, eam veto *naturalem* esse non ostenditur. neque potest, nisi hoc insulso argumento:

Omnis inclinatio est naturalis

In mulieribus est talis inclinatio,

Ergo ea est naturalis.

Falsa est major, & infringitur instantia ab iis inclinationibus quæ sunt ab exemplo. Eadem possunt accommodari ratiocinationi Borstii de *consuetudine*. Habet vir doctus argumenti tum Borstiani, tum mei nervos, & thoros, quos ipse nunquam labefactabit.

Unum hic diligenter considerandum est, videlicet virum doctum asserere quædam peccata *specialiter* peccata contra naturam vocari, intelligit autem ea de quibus Paulus Rom. 1. quod si verum est (ut certe est) non debuit *specialis* illa acceptio ita gener-

generalis reddi, ut applicaretur comæ, barbæ, unguibus. quod fit à Poimenandro. quæ opinio non obscure hic à viro docto condemnatur. Pergit: *Nec valet exemplum in contrarium allatum. Nam vestium forma apud plerasque gentes in dies mutantur: ac apud plerasque gentes semper obtinuit, & etiamnum obtinet, ut mulieres inclinentur ad nutriendam comam.* Resp. 1. Valet vel unum exemplum in contrarium ad infringendam propositionis alicujus universalitatem. id autem hic factum est. 2. ut in vestibus mire variant populi, ita & in coma, fatente Poimenandro. ut ante. 3. probandum est viro docto *quod plerasque & quod semper.* 4. si hoc sufficiat ad inclinationem aliquam reddendam *naturalem* (in bonam partem accepta naturæ voce, ut fit à Paulo) sequetur omnia primi mundi scelera fuisse ab inclinatione *naturali*, ideoque imitanda. nam tunc non *plerasque* tantum gentes, sed *omnis* caro corruerat viam suam, & perpetuam impœnitentiã in iis perseverabat. Altera mea instantia (plures res autem possent afferri) erat, quia *Viros quoque inclinari ad alendam comam ubicunque id usitatum est, testabitur Rev. D. Iunius Pastor Delphensis, qui in insula cui Formosæ nomen est, non nisi magno molimine ad muliebrem comam ponendam viros adducere potuit.*

In-

Inclinationem ergo illam magis *natura-*lem esse feminis quam veris *NON LI-*QUET. Excipit vir doctus 1. *Non incli-*nari ad hoc viros naturaliter; sed *inclina-*tionem que naturali inclinationi *contraria* est, atque aliunde accessit. Resp. Ergo aliqua *inclinatio* non est naturalis, & cadit pro syllogismi quem impugno propositio major. hoc volebam, 2. Inquit, *Si sufficit ad demon-*strandum, quod res aliqua non sit ab *inclinatione naturali*, quia reperiuntur in quibus *contraria inclinatio* est: non amplius erit contra *inclinationem naturalem* peccatum illud de quo *Apostolus* agit Rom. I. & *Moses* Gen. 19. Quia olim reperta fuerent *gentes* quibus peccatum hoc usitatissimum esset, & nunc etiam reperiuntur *populi*, quibus peccatum hoc admodum familiare est, & à quo ne quidem *severitate legum* revocari multi possunt: imo *inventus* fuit inter *Christianos*, nimirum *Ioannes Casa* Archiepiscopus Beneventanus, qui illud scripto publico (quod hic in *Bibliotheca Urbis* asseruatur) laudaret. accumulatur & alia quædam exempla. Resp. Argumentum auctoris, & exemplum *Casæ* cum reliquis profus præter *casam* fugit. nam 1. non argumentatus sum à *contraria* inclinatione, quod facerem si mulieres quæ *raduntur* induxissem, sed à *simili* vel potius *eadem* inclinatione, in iis de quibus vir doctus

ctus fatetur eam naturalem non esse. 2. neque inde concludo inclinationem mulierum ad hoc non esse naturalem, sed propositionem illam prosyllogismi, de quo ante, non esse generaliter veram, ideoque naturalem esse hanc inclinationem feminis magis quam viris NON LIQVERE. ut expresse, & literis majusculis in thesi posui. hæc ad argumentum. Addamne aliquid de Casa? addam, sed paucis, quia hæc talia tractando sordescunt non nitescunt. Is ergo poemate Ethrusco quod inscribitur. *Capitolo di Messer Giovanni della Casa sopra il Forno*, ab illo versu: *Ben che chi fa questo mestier divino*, usque ad duodecimum sequentem, laudat scelus quod Apostolo notatum Rom. 1. 26. *αἴτε γὰρ θήλειαν αὐτῶν μετήλλαξαν τὴν φυσικὴν χρεῖαν εἰς τὴν ἀφ' ἑαυτῶν φύσιν.* quo sensu Diod. Siculus lib. 31. apud Photium τῆ γυναικείᾳ mulieris ἐπιπλοκῇ opponit τὴν ἀφ' ἑαυτῶν φύσιν ομιλίαν proxime ad phrasin Pauli. quam Iudæi honeste exprimunt per *הליעבא* vel *העריהלא כררה*. v. Rabbi Selomo in Gen. 24. 16. 1. Chron. 2. 3. Quod vero addit Paulus v. 27. *ἀρσενες ἐν ἀρσεσι*, de quo & Moses Gen. 19. non laudat quidem Casa expresse, sed describit ab isto versu, *Tenero il forno già etc.* seque eo infectum fuisse fatetur illo: *Io per me radevolte etc.* nam ex illo *radevolte* facile colligitur

gitur *to alcune volte*. hæc hac occasione observanda duxi, tum propter virum doctum, qui hæc non distinguit, tum propter cavillationem ipsius Casæ, qui in epigrammate quodam, se calumniam à Sleidano pati conqueritur, eo quod de femina non autem de mare in eo poëmate egerit. quod nec omnino verum est, nec cum à magna impunitate absolvere potest. nunc ex diverticulo in viam. Addit auctor quicum ago: 3. *Vir doctus quem laudat R. D. Iunium inutiliter sese fatigasse judicat, ponendo operam in re non necessaria. Quoniam Disp. 6. Thes. 15. ait, ut vestium sic nec capillorum Christianis ullam certam formam prescriptam esse: Et tantum in utrisque legem humilitatis, modestie, prudentie spiritualis, & adificationis proximi (que in gente nutritioni capillorum assuetæ per intonsos capillos virorum, nisi alius accederet, non violabatur, posito videlicet, capillorum nullam certam formam Christianis esse prescriptam) esse observandam. An autem hoc fassurus sit Rev. D. Iunius, & agiturus quod Neophytos illos, & quidem renitentes, rebus inutilibus gravaverit, libertatique ipsorum præjudicaverit, me latet. Resp. 1. Denuo mihi expostulandum cum viro docto, quod hic me nominaverit, eos vero à quibus illam sententiam petii, & quos in thesibus meis expressi tacitus prætereat. id enim*
quavis

quavis occasione in me reprehendendum putat. auctores illi sunt Polyander, citatus mihi Disp. 6. thes. 15. & Borstius Disp. 4. thes. 8. 2. Quod dico, nec vestium nec capillorum ullam certam formam Christianis præscriptam esse, ex eo non sequitur, vel viris muliebrem, vel mulieribus virilem, convenire, id quod expresse negavi Disp. 4. thes. 3. & facile à viro docto huc accommodari poterat. sed salvo hoc discrimine ac lege modestiæ &c. in utrisque licite variari. Si secus sentit vir doctus, doceat nos quæ sit illa forma vestium v. g. quæ Christianis præscripta est. nam eam qua nunc utimur à Christo præscriptam esse dicere non audebit. periclitabitur ergo Christianismus noster, nisi hac de re plenius instruamur. Verum hoc nos fasce levavit clariss. ejus collega, Disp. 4. de excels. mundi ad 7. præceptum thes. 1. probl. vi. *An omnibus ac singulis, viris ac feminis, una & definita ratio vestium quod ad materiam & FORMAM præscribi debeat? Neg. Non quo ad materiam; quia non omnis fert omnia tellus: ut alias rationes præteream. Non quod ad FORMAM; quia forma, qua huic vocationi & vitæ generi maxime apta & commoda, alteri minus apta & commoda est. Nequid dicam de MUTATIONIBVS TEMPORVM & OCCASIONVM, qua huic homini MUTATIONEM*

TEM VESTIVM decore suadent & conce-
unt, alteri extra illas occasiones constituto
on concedunt. 3. Quod negat violari le-
em humilitatis, modestiæ, prudentiæ &c.
er nutritionem capillorum ab iis genti-
us quæ ei assuetæ sunt, nisi aliud accedat,
ecce autumat. nam hic aliud accedit. 1.
quod capilli virotum (addo & vestes)
muliebres erant. 2. quod iis utebantur in
ecclesia, præsentem euangelii ministro, qui
modestius cultus erat. quo secundum quos-
dam spectat quod dicitur 1. Corinth. II. 10,
ὡς τὸς ἀγγέλους. 3. quia membra ejus-
dem ecclesiæ Belgicæ nationis alium & de-
centiorem vestium, ac capillorum modum
observabant. 4. quia iis concordabant ec-
clesiæ vicinæ, in quibus mos ille indecen-
tor jam abrogatus erat. Non ergo neo-
phytos illos, licet nonnihil propter vete-
rem consuetudinem renitentes, monitis ta-
men pastoris sui obsecundantes, rebus inu-
tilibus gravavit, aut libertati eorum præ-
judicavit Iunius. Et hæc satis ad duas pri-
mas disputationes.

CAPVT IV.

Quinta acceptio natura, pro consuetudine,
rejecta. A consuetudine firmum argu-

F
mentum

mentum an & quatenus peti possit. Distinctiones viri docti, de consuetudine nuda, arbitraria, naturali, recepta, confirmata, inveterata, promiscua multitudinis &c. discussa. Poimenandrum necessario in opinionem quæ naturam pro consuetudine accipit incidere ostenditur. Acceptio sexta, natura pro honestate & decentia naturali, inconcinnitas. Corn. à Lapide perperam pro ea citatur. Acceptio septima natura tripertita, pro natiuitate, essentia, qualitatibus repudiata. Acceptio octava, pro recta rationis iudicio certo sensu admiffa. eius explicatio suppleta. Incommodi genus, ad ea quæ existimationi detrimentum afferunt ritè extenditur.

IN tertia Disputatione reliquas vocis NATURÆ explicationes persequor. Quatum prima (quæ mihi in ordine quinta numeratur) est eorum qui per naturam consuetudinem intelligunt. hanc (quæ inter alios Calvino tribuitur) cum viro docto rejeci. thesi 1. & 2. sed argumentum quoddam ejus (nam reliquis non contradico) ad examen revocavi, quod videlicet à consuetudine non nisi infirmum argumentum peti dicat. id autem minus solidum esse inde probavi, quia Paulus ipse ab ea argumentum petit. v. 16. quod enim additur

ditur de promiscua multitudine, responde-
bitur, non esse in textu, ideo nihil ad rem
facere. In hisce viro docto displicet pri-
mo, quod sententiam suam ut ait, minus
plene proposuerim; *Distinxisse enim se in-
ter consuetudinem naturalem & mere ar-
bitrariam, quam postremam non convenire
loco Apostoli docuerit*, Resp. Me hoc omi-
sisse nego. videatur extremum primæ the-
seos. nisi quod Borstium ibi nominavi, non
ipsum, apud quem id non inveni, licet u-
triusque scopo illustrando faciat, qui fuit,
Calvini sententiam mitigare, & eum ab
hac expositione vocis *natura* segregare.
Vidi hoc cum eam disputationem conscri-
berem, ideo sententiam illam non Calvinī
esse sed Calvinō *tribui* dixi. recte an secus ibi
non disputavi, nec hic disputo, ubi sufficit,
hanc explicationem etiam inter alias af-
ferri, & Calvinum pro ea citari quod vir
doctus non negat, imo Disp. text. p. 1.
thes. 5. Salmeroni quoque eam tribuit, ac
eum scripserat quidem Calvinī compilasse,
minime tamen perinde ac Calvinum expli-
cari posse existimat. fidem ergo meam hic
liberavi. 2. ad censuram meam quam vo-
cat in ipsius argumentum accedit. Ait au-
tem *se eo loco eos impugnare qui per natu-
ram nihil nisi consuetudinem nudam vel
arbitrariam intelligunt*, & remittit nos ad
Disp. text. p. 1. Thes. 5. & 6. circa finem. &

porro thes. 8. ratione 5. Resp. Loca illa
 evolvi, & nihil in illis nec de *nuda* nec de
arbitraria consuetudine dictum inveni,
 sed de *recepta & confirmata*, imo ad thesin
 ejus tertiam regressus, ubi status quæstio-
 nis formatur, reperi eum istis verbis poni:
Alii naturam Apostolorum vocare volunt consuetudinem. ita & initio hujus thesios,
 (quæ ei numeratur **x i.**) *Sequitur quinta
 acceptio vocis nature, qua jubet ut naturam
 pro consuetudine accipiamus*. Nusquam nec
nuda, nec *arbitraria* compareret. Nec ea
 verba vel apud Calvinum vel apud Salme-
 ronem reperiantur. unde apparet, & re-
 cedere auctorem à statu quæstionis, & cita-
 re ea quæ nusquam extant, & sine adver-
 sario bellacem esse. de *promiscua multitu-
 dine* quam thes. 8. agglutinat mox age-
 mus.

Pergit & ait, *Siquidem merito se mihi
 opponit, hoc axioma illi approbandum erit:
 Quicquid consuetudine recepta & invetera-
 ta obtinet, ab eo firmum petitur argumen-
 tum*. Resp. Nimirum hoc est sapere! Ipse
*negat à consuetudine peti firmum argumen-
 tum*. indefinita propositio est, quam oportet
 æquipollere universali, si argumentum
 legitimum necere velit, vitiose enim con-
 cluderet ex particulari. Sentit ergo ex
*nulla consuetudine posse duci firmum ar-
 gumentum*. ut me illi opponam, non opus
 est

est me dicere, ex *omni* consuetudine duci firmum argumentum. sufficit enim ut dicam *ex aliqua*. ut sciunt logicorum pueri. perquam ergo inane est quod hic adversus me intulit.

Oppositionem meam inde demonstravi, quod Apostolus argumentum à consuetudine petat 1. Cor. 11. 16. Hic repetit vir doctus quæ de *nuda ac mere arbitraria* consuetudine exceperat. quæ non est operæ pretium convellere. Dicit porro argumentari Apostolum à consuetudine sua collegarumque, & ecclesiarum Dei. quod aliud est quam argumentari à consuetudine *nuda mereque arbitraria promiscua multitudinis*. Resp. dicta non repetam. sed agere Apostolum de consuetudine *promiscua multitudinis*, quod vir doctus hic negat, patet ex textu, & ipsius viri docti verbis. quid enim aliud erant *Ecclesie Dei* oppositæ ad *Apostolos & ejus collegas*, quam *promiscua fidelium multitudo*? ita se ipsum refellit vir doctus. Dixeram in thesi, *Quod enim additur de promiscua multitudinis, respondebitur, non esse in textu.* Hic vir doctus: *At quis dixit, inquit, esse in textu? Imo ne quidem in textu esse potuit, si modo Apostolum recte argumentatum non diffiteamur: aut verum est (ut verissimum est) quod ego dixi, videlicet Apostolum voce natura non significasse nudam consuetudinem.* Ex hypothesi

pothesi illorum contra quos disputabam, quod dicitur de promiscua multitudine asserere. Resp. Sane verba mea obscuritatem aliquam habent, itaque responsum meum, adjutus à viro docto, ita erigo: *Quod enim additur de peromiscua multitudine, respondebitur, id ab adversariis non dici.* Quid jam lucratus est vir doctus? nihil, nisi probet hanc hypothesein adversariorum esse. quod cum facturum non puto. Nec pugnant tamen hæc cum eo quod in thesi attuleram. ideo enim se ea verba non addidisse voci *consuetudinis* dicent, quia Paulus ea non addidit voci *natura*. atque ita ea nec in *verbis adversariorum* nec in *textu* exprimuntur. Porro, quod verissimum esse ait quod ipse dixit, *videlicet Apostolum voce natura non significasse nudam consuetudinem*, agnosco & ego veram esse illam propositionem, sed nego eam recte à viro docto, hoc quod jam excussimus argumento demonstratam esse.

Quod in fine theses suæ me cum hæc scriberem aut *ἀόργους* laborasse, aut aliquo affectu non probando, (quod tamen de me suspicari nolit) concludat, sane de affectu bene facit quod suspicioni suæ non indulgeat, nam affectus sequioris omnes causas procul habeo. quod ad *ἀόργους* attinet (quæ mihi cum multis communis est)

est) equidem fateor me non ita perspicacem esse, ut videre possim quod nusquam est. atque (ut alia mira præteream in distinctione ejus) fateor me non videre quomodo quod commentus est de consuetudine *naturali & arbitraria*, cui ultimæ agglutinavit eam quæ est *promiscua multitudinis* applicari possit loco à me adducto ex I. Corinth. II. 16. Nisi dicat, bonam consuetudinem in Paulo & collegis ejus fuisse à *NATURA*, in ecclesiis autem Christi sive promiscua fidelium multitudine à *mero ARBITRIO*. cui acroamati jure quispiam subscriberet: **HIC DEUS NIHIL FECIT.**

Verum age, videamus an non ipse vir doctus hoc ipso loco aliquid eorum committat quæ in me eum, licet injuriâ, castigantem audivimus. Ex sententia ejus argumentum sumseram adversus Poimenandrum, quo eum in illa opinione necessario hæerere quam vir doctus hic refellit, demonstrabam. Ad verbum autem ita habet: *Quomodo se hinc evolvat Poimenander rationem inire non possum. Is enim firmam consuetudinem & communem consensum jus gentium esse ait. p. 155. unde & usum horologiorum eo refert, ut ante vidimus. tale ergo è positis ab illo argumentum struimus: Jus gentium est natura illa de qua Paulus agit: Consuetudo est jus gentium:*

F 4

ergo

ergo consuetudo est natura illa de qua Paulus agit. utraque promissa est Poimenandri. unde quo pacto conclusionē negare possit, ipse viderit. Quid ad hæc vir doctus? tacet. qua de causa, ipse novit. ἀοργασίας subesse non puto, nam non videre tam notabilem locum, hoc esset cucurbitas lippire. Superest, ut cum rem manifestam negare non posset, in amici gratiam eam dissimulare, quam mecum palam improbare maluerit. sitne probandus hic affectus, non disputo. satis mihi est triumphantem hic, ut in omnibus, veritatem gratulabundo animo venerari.

Thesi tertia, sextam vocis NATURÆ significationem adduxi, ea videlicet significari honestatem & decentiam naturalem. hæc à viro docto tribuitur Cornelio à Lapide & Alexandro Halensi Disp. 1. thes. 5. qui Disp. 3. th. 7. se de ea sub finem prima Disp. egisse ait. quale tamen nihil ibi reperire potui. Hæc vir doctus per errorem vel suum, vel typographi excusat. omissam enim in citatione Disp. 1. vocem thesios 5. Resp. excusationem accipio, sed addo, mihi thesin illam lectam fuisse, cum eam ipse citarem. arbitratum autem, eam opinionem alibi (ut citatio Disp. 3. præ se ferre videbatur) explicatam, & vel approbatam vel improbatam fuisse, quod in illa thesi non est factum, & nunc video nusquam factum

atum esse. itaque vir doctus dum eam hic defendit, facit quod sibi solenne est, ut videlicet alienas opiniones animi causa propugnandas suscipiat. Videamus tamen quomodo hic se gerat.

Ratiocinatus eram thesi 4. hunc in modum: *Honestas illa naturalis docet Corinthios, vel prout honestas, vel prout naturalis est. Non primum, quia idem per idem doceretur, id est, per honestatem doceretur quid honestum sit. non alterum, quia idem per idem explicaretur, utpote natura per naturale, qua eodem recidunt, aut certe aequae obscura sunt.* Hic vir doctus, utramque propositionem nostram sibi refellendam suscipit. Majorem incusat insufficientis enumerationis. *non enim sequi, si honestas naturalis doceat, eam docere aut simpliciter ut honestas, aut ut naturale quid est, sed ut honestas naturalis est. quemadmodum non sequitur: si Petrus est homo, aut homo est qua animal, aut qua rationale quid, sed qua est animal rationale. neque enim genus solum, nec differentiam generi additam rem constituere in certa entis specie.* Resp. Quasi quaestio sit, quid honestatem naturalem constituat in certa entis specie! minime hoc agitur, sed per quid honestas naturalis agat, id est DOCEAT. omnibus autem qui philosophiam vel à limine salutarunt, notum est, actio-

num esse principium QVOD & principium
 QVO. 2. quid movit virum doctum ut
 terminos mutaret? nempe *naturalis in na-
 turale quid? & rationalis in rationale quid?*
 quis enim unquam dixit *rationale quid* es-
 se differentiam hominis? quo dato ange-
 lus esset differentia hominis, & homo esset
 differentia angeli. uterque enim est *ratio-
 nale quid.* 3. Adegit me hæc licentia, ut
 inquirerem in expositionem Cornelii à La-
 pide, & deprehendi eum prorsus diversum
 dicere ab eo quod ei vir doctus affingit.
 neque enim nominat *Honestatem NATU-
 RALEM* sed *honestatem NATVRÆ.* in qui-
 bus non est genus & differentia, sed sub-
 jectum & adjunctum. *Honestatem* autem
 explicat per *decentiam*, & utramque oppo-
 nit *præcepto.* verba ejus sunt: *Paulus er-
 go non PRÆCEPTVM hic, sed honestatem
 & decentiam natura insinuat.* convenien-
 ter cum iis quæ paulo ante dixerat: *Vt
 mulier comam alat, non autem vir NON
 EST absolute PRÆCEPTVM NATVRÆ, aut
 DIVINVM, aut ECCLESIASTICVM.* A ma-
 jori mea pergit ad minorem, cujus utrum-
 que membrum oppugnat. Ad primum di-
 cit: *Honestas in communi considerata se ha-
 bet ut regula ad quam exigenda est qualibet
 actionum nostrarum. Vt ergo per regulam
 devenitur in cognitionem regulati, sic per
 cognitionem honestatis in communi consi-
 derata*

derata pervenitur in cognitionem hujus actionis in particulari, videlicet num honesta sit necno. Resp. 1. Natura igitur secundum hanc explicationem erit honestas in communi considerata. At hoc est contra hypothesein. statuitur enim natura esse honestas naturalis, .i. ad certam speciem restricta. 2. Honestas in communi considerata, nihil aliud est quam decentia, ut modo vidimus, ea autem æstimatur ex more, qui est regula decori. ut ex Dialogista videbimus Disp. 5. thes. 2. quod non damnat vir doctus, ut ipse profiteretur thes. 20. vide jam quid sequatur: nempe sensum Apostoli esse, è communi more petendum quid in quaque actione honestum aut decorum sit. applica hoc ad causam capillarem, & recogita quam belle Poimenandrum defenderis. Addit: Immo vero, ex cognitione honestatis quæ est in hac vel illa actione particulari, sepe etiam perveniri potest ad cognitionem honestatis quæ est in alia quapiam actione particulari. Alioqui exim perierit argumentatio quæ datur à comparatione parium. Resp. 1. Paritas illa fundamentum habet in aliquo utriusque actioni communi. hoc est (quantum ad rem de qua agimus) in communi honestate fundatur honestas particularis. si ergo illa desumenda ex recepto more certe & hæc. & causa iterum cadit Poimenander. Tandem

auctoritate Fr. Iunii quod dixit p̄obatur, qui
 Analyfi Deut. 22. 5. *ab honestate in capillis
 servanda, argumentatur ad honestatem ean-
 dem in servando discrimine vestis virilis &
 muliebris.* quod totum concedo. sed ho-
 nestatem (quam ex more petendam fatetur
 vir doctus) inferre *jus naturale & perpe-
 tuum*, (quod ille sibi sumit) id vero est
 quod pernego. reliqua quæ ad rem præ-
 sentem non pertinere vir doctus agnoscit,
 ipsum sequuti præterimus, licet in eis oc-
 currunt quæ limam desiderent. & hæc ad
 primum membrum meæ minoris. ad se-
 cundum ait: *Non ita inepti sunt quos hic
 impugnat auctor hic, ut naturam de qua
 loquitur Apostolus per naturale tantum ex-
 plicent. Sed explicant per honestatem quæ
 in natura fundamentum habet, & à recta
 ratione præscribitur, nec pendet à circum-
 stantijs locorum & temporum.* Resp. 1.
 Profecto non ita inepti sunt illi auctores
 (quanquam multatum ineptiarum archi-
 recti, utpote insani papistæ) ut tu illos
 facis. Nusquam enim eos dixisse arbitror
 (de Corn. à Lapide certus sum, alterum
 non contigit videre, at tu eum idem
 cum illo sentire asseris) *Naturam* apud
 Paulum esse *Honestatem naturalem*, sed
 Paulum non præceptum hic dedisse, sed
honestatem & decenciam insinuasse. illam
 autem NATURÆ esse ajunt, quæ quid sit
Inexpli-

inexplicatum relinquunt. 2. si *naturale* hic est, quod à *recta ratione* præscribitur, coincidit hæc significatio cum octava sequenti, de qua agetur ad Thesin VII. cur igitur sigillavit Dialogistam, quod eam, tanquam diversam à sua præterierit? 3. quod honestas hæc non pendeat à circumstantiis locorum & temporum, id pugnat cum eo, quod eam æstimari voluit *ex more*. 1. recepta consuetudine. quæ certe ab ejusmodi circumstantiis pendet, & secundum eas variat.

Thesi v. sub titulo septimo *tres alias significationes à Borstio accumulari dixi, per quas docere vult NATVRAM hic quoque in sua propria significatione accipiendam esse.* ait enim ea in s. literis designari 1. *Nativitatem.* Rom. 2. 27. & II. 24. Gal. 2. 15. Eph. 2. 3. 2. *essentiam per quam res est id quod est.* Gal. 4. 8. 3. *qualitates.* 2. Pet. 1. 4. hoc refuto thesi 6. de qua mox, nunc audiamus quid vir doctus ad has citationes afferat. ait ergo, *Quamvis ego Borstium defendendum non susceperim, quia tamen iniquius quam oportebat tractari videtur, paucis quid senserit, aut sensisse putem, exponendum judico.* mox repetit ea quæ ante à Borstio allata erant, 1. *de natura, ut significat constitutionem hominis in statu integritatis.* 2. *in statu corruptionis.* harum significationum priorem præferri à Borstio.

GIANZ

cum autem illa in duas scindatur sententias, ut videlicet per naturam vel sensus communis intelligatur, vel vis & ordo naturalis, eum vel alterutram vel utramque intellexisse. loca à me adducta eo tantum facere, ut ostendant naturam alia omnia significare quam consuetudinem. Denique Borstium concludere, vocem natura esse proprie accipiendam. hæc summa est. Resp. 1. Quod ait se Borstium defendendum non suscepisse, sciat me illius defensionem ab ipso non flagitasse, & certe præstitisset eum proprias sententias tutatum esse, relictis alienis. quanquam 2. eas suas fecerit, dum iis suam approbationem præfixit, atque ita ad eas defendendas se obligarit. 3. quod ait Borstium iniquius quam oportebat tractari VIDERI, seque expositurum quid Borstius senserit, aut eum ipse sensisse PVTEAT & tandem nihil certi de ejus sententia concludit, ostendit, hæsitabundo animo hæc à sese dici. & consultum fuisset, nisi fallor, quid ille sensisset prius ab eo expiscatum fuisse virum doctum, quam hariolando de ejus sententia disceptaret. 4. Quæcunque ex Borstio citat, ei cum aliis communia, nihil mihi incommodant, cujus scopus fuit, præter illa, tres ALIAS significationes vocis natura ab ipso allatas expendere. quas apud eum extare, licet dissimulet, non tamen negare audeat vir doctus.

Etus. nequis autem de eo dubitet, inspi-
ciat Conc. Botst. p. 28. 29. ubi omnes di-
sertis verbis recensentur. 5. quod Bor-
stius id fecerit iudicio viri docti, ut signi-
ficationem CONSVETVDINIS exploderet,
aliquid dicit non omnia. nam *ex iis Con-
cludit, vocabulum natura hic sumendum esse*
IN PROPRIA SIGNIFICATIONE, p. 30. quod
quomodo potest, nisi intelligit ea quæ ad-
duxit *propriam naturæ significationem ha-
bere?* unde enim *proprietas* irrepsit in *con-
clusionem*, si nullo modo fuit in *premissis*?

Thesi VI. ita ratiocinabat: *Vel Borstius
per naturam hoc loco ista omnia significari
vult, vel ex iis aliquid, vel nihil. si omnia,
non potest, quia sunt disparata res, nativitas,
essentia, qualitates. si aliquid, quidnam illud
sit specificandum erat. si nihil, frustra ea sig-
nificationes sunt allata.* ad hoc vir doctus
ait, *Borstium ostendisse, se per vocem natu-
ra non intelligere omnia illa quæ ab ipso re-
censentur, sed id quod jam indicatum est.*
Resp. Nimirum vel sensum communem
sive (ut vir doctus loquitur) iudicium na-
turale rationis practicæ, vel ordinem natu-
ræ, vel utrumque. hoc si verum est, vel
Borstius nihil certi statuit, vel vir doctus
quid Borstius statuerit ignorat. Dumque
solum primum membrum propositionis
meæ conatur expedire, reliqua duo in-
tacta deserit. Denique cum *negat Borstium
dixisse*

dixisse omnes hasce significationes quas ac-
 cumulat vocis natura esse proprias, restat di-
 cendum quænam illa sit ex qua propriam
 acceptionem in loco Paulino CONCLU-
 DIT? nullam video, nisi eam quæ naturam
 dicit *essentiam per quam res est id quod est.*
 hæc enim est significatio maxime propria.
 at eam hic locum habere non posse in fine
 hujus thesæos ostendimus. *judicium practi-*
cum esse naturam proprie dictam, tum de-
monstrabit vir doctus, quum fines iidem
vesper & ortus erunt. nihil ergo & illud
 pertinet ac conclusionem Borstii. ut nec
 altera viri docti acceptio, quæ naturam ex-
 plicat per vim & ordinem *naturalem.* *na-*
turale enim est quod ad naturam spectat,
non ipsa natura.

Thesi VII retuli octavam vocis *natura*
 acceptionem, qua esse statuitur, *recte ra-*
tionis judicium, ex instinctu natura fluens,
quod vulgo sensus communis nomine appel-
latur. qui in hanc sententiam citentur,
 quique eam defendant, quis impugnet,
 adjunxi. inter defensores pono virum do-
 ctum. & addo, Borstium hoc judicium
 explicare per scintillas & reliquias quæ in
 homine à primo ejus statu adhuc supersunt,
 quales sunt (præter alia) notitia honesti
 ac turpis. quopacto vox naturæ sumatur
 Rom. 2. 14. Jac. 3. 7. Thes. 8. in memoriam
 xeyoco, *Naturam aliquid dici docere, vel*
prose

*prout est res quadam ex cuius contemplatione cognitionem haurimus, vel prout est actus sive operatio quadam nostra, cognitionem producens. idque ex distinctione viri docti, qui posteriorem modum naturæ attribuit, prout significat iudicium naturale rationis rectæ. addo, me hanc acceptionem non improbare ut falsam; sed supplere ejus explicationem, ut minus perfectam. Repetit hæc vir doctus thesi sua XIV. sed inutile & confuse. cum non distinguat ipsam hanc vocis acceptionem, explicationem ejus à Borstio allatam, & propriam suam distinctionem. ita enim mea verba citat, ac si dicam: *Hanc acceptionem non ut falsam improbandam, sed ut imperfectam supplendam: & mox: Nægo distinctionem à me datam esse imperfectam, aut suppletionem indigere.* At ego neutrum dixi, nam acceptionem probavi, distinctionem etiam laudavi. sed explicationem Borstii minus perfectam esse dixi. quicquid ergo hic affert, ut ostendat in distinctione sua nihil mutilum deprehendi, otiosum est. bonam illam esse dixi, nec dictum muto. Videamus jam cur supplendam explicationem Borstii existimarem. Etenim, inquam, *iudicium rationis rectæ, quale fuit ante lapsum, & cuius adhuc igniculi in nobis super sunt, non modo terminantur ad honestum ac turpe tale quale intelligit Borstius, .i. ad res à Deo vel præcep-**

præceptas, vel prohibitas, sed & ad res
 physicas, artificiales, aut etiam ad pruden-
 tiam oeconomicam ac civilem spectantes.
 Primi specimen est Gen. 2. 19. ubi apparet
 Adamum singulorum animantium naturas
 exacte notas habuisse, atque ita nomina eis
 consentanea & accommodata imposuisse, ut
 divinitus illa *ὀνομασθεῖα* probaretur. secun-
 di exemplum est loco quem Borstius citat ex
 Iac. 3. 7. ubi Apostolus ait, omnem naturam
 & ferarum, & volucrum, serpentumque, &
 marinorum domari & domitam esse à na-
 turâ, .i. ratione humanâ. quod certe non
 pertinet ad iudicium de re honesta aut tur-
 pi, sed ad scientiam & artem circa rem na-
 turalem, corpoream, & ad corporalem usum
 hominis spectantem, qualis est animalium
 cicuratio. de prudentia oeconomica & civili
 res non minus clara est. ea enim non modo
 de peccato & recte facto præcepta tradit,
 sed & ea quæ vel commodum vel incom-
 modum existimationi rei vè familiari aut
 publicæ afferre possint, amplectenda aut ca-
 venda suggerit. Hæ omnia vir doctus sicco
 pede tranlit. nam solidiora sunt quam ut
 iis dentem infigere possit. Adde: His ita
 distinctis, non sequitur: Recta ratio (suma-
 mus ita naturam) dicitur Corinthiis, non
 esse viro alendam comam, ergo vetat id sub
 ratione peccati vel illiciti, cum id possit dis-
 suadere sub ratione incommodi, quod quo-
 modo

modo hic locum habere possit, videbitur in seqq. peccat ergo argumentum à non distributo ad distributum, sive à genere ad speciem affirmative. Ad hæc vir doctus 1. ait, Hoc non est meum argumentum, sed auctoris verba. Resp. Nec ut tuum, sed ut Borstii argumentum proposui. cujus nomen hic bis iterum expressum vidisses, si oculis voluisses uti. Latet autem in ejus explicatione, in qua, à scintillis & reliquiis quæ in homine à primo ejus statu supersunt in genere sumtis, manifesto paralogismo delabitur ad certam earum speciem, .i. quæ pertinent ad *natura legem*. ut patet ex citato ab eo loco Pauli Rom. 2. 14. Videns autem vir doctus, vel argumentum hoc sibi defendendum, vel acceptionem hanc vocis naturæ sibi prorsus inutilem fore, id pro suo amplectitur, & probare conatur ex *scopo Apostoli, qui erat, docere viro illicitum velato, mulieri aperto capite orare*. præsupponit nimirum hæc esse *legis divinæ & immutabilis*, quæ tantum esse constitutionis ecclesiasticæ, loco ac tempore mobilis suo loco ostendemus. Porro in eo quod non *peccati* sed *incommodi* hic rationem haberi posse innuam, *inoptum* me esse dicit, *quia Apostolus loquatur non de eo quod quoquo modo detrimentosum, sed honestum aut turpe est*. Resp. At ineptus ego plumbeum acumen illius argumenti
jam

jam prævideram, ideo ad detrimetosa ea retuleram quæ incommodum EXISTIMATIONI afferre possent. & eo pertinet τὸ ἀ-
 πρῶν Apostoli. illud quoquo modo, quod bis infarcit vitæ doctus, non est meum, sibi habeat quod suum est. non amo nimium liberales. Addit, *licitum non esse sibi ipsi detrimentum inferre, nisi ex fine licito.* Resp. nec illicitum hoc est nisi ex fine illicito, aliave circumstantia vitiosa, per se ergo id est indifferens, cum bonitas ejus aut malitia è circumstantiis pendeat. quo uno considerato, cadunt quæcunque contra affert. Quod negat à se procedi à non distributo ad distributum, id postquam Borstii argumentum suum fecit, perperam negat, ut modo visum est.

CAPVT V.

Acceptio nona natura, pro sexu, ex auctore Dialogi & Borstio eruta, à me illustrata, & testimoniis bonorum auctorum munita. Non obtruditur ut necessaria, sed reliquis in suo genere præfertur. Nec falsa, quia rarior. nec quia apud Lxx non occurrat. In Novo Test. perspicue reperitur. ut & apud Iosephum, Philonem, Diodorum. Quomodo sexus doceat Corinthios? Apud eos

eos caput integumento liberum fuit symbolum dominii. Mos saepius tondendi non fuit apud omnes graecos, ut nec pileolum gestandi. sed apud elegantes & deliciosos. Sacerdotes aliive in quibus sacris, quomodo, & quare caput velarint. Pueri & cinedi ab hac quaestione removendi. saepius tondentes pro mollibus habiti. *emphasis in pronomine vngs defensa. Absurda quibus mea sententia oneratur, in suum auctorem rejecta. Naturam pro sexu usurpanti fatetur vir doctus. ut & probabile esse eam ita hic accipi. de ejus acceptionis necessitate iterum. Dicitum Pauli de integumento capitis &c. non continet legem universalem, sed ritum illi tempori, loco ac genti accommodatum. Neque est hoc commentum meum, sed communis doctrina nostrorum Theologorum.*

THesi mea nona, nonam acceptionem vocabuli naturæ reliquis adjungo: qua videlicet ea natura hic designari dicitur, *que discrevit sexus.* ita enim auctor dialogi. quod exprimit Borstius per *eam naturam qua nos docet virum & feminam à se mutuo distinctos esse v. locum.* addidi eam explicationem displicere viro docto, eo quod auctor dialogi non indicet

dicet quid per illam naturam intelligat. Disp. 3. thes. 8. Hæc difficultas ut tollatur, id est, ut ab hac sententia nubecula obscuritatis, si fieri potest, abstergatur, eam ita illustrari posse judicavi, ut præter significationes Quædam supra excussas, reliqua sit hac, qua per naturam intelligitur sexus. is autem marem à femina dividit, & discriminis inter utrumque rationem habendam esse docet. probo hanc acceptionem ex variis auctoribus. & postea Thes. xi. eam pertinere ad rem de qua agitur ostendo. hic vir doctus: Primo, inquit, non est idem natura que sexus discrevit cum sexu, nisi velimus causam & effectum idem esse. Male igitur auctor hic sententiam dialogistæ (quam ob causam facilius suspicari quam affirmare possum) interpolare, & cum ea quam ipse adoptat confundere intitur. Resp. i. nihil me hic confundere voluisse, sed verba Dialogistæ & Borsii (de quorum obscuritate querebatur vir doctus) ab ea liberare conatum res ipsa evincit, Addidi tamen, Si fieri posset, neque enim meum esse videbam sententiam aliis obtrudere quam fortasse non haberent. quod si ita est, facile patior, ut quod suum est sibi habeant, & sententiam quam posui tanquam meam, mihi relinquant. sed aliam suam mentem esse, neuter adhuc significavit, neque vir doctus aliam nobis notam fecit, qui tamen sensum
 saltem

saltem Borstii cognitum habere debet, cujus opus approbavit. cur ergo illum nobis invidet? cur nos errate patitur, quos in viam potest reducere? scio cur hoc non tentet: quia videt nos verum sensum attigisse, licet id fateri nolit. Et hæc est causa cur malit hic solum Dialogistam nominare, Borstium prætereat. nec opus hic *suspicionibus*, (quod in me facit) in indulgere. res enim clara est. Conatur autem Dialogistæ ac Borstii sententiam (quam ipse fateretur se non intelligere) à mea segregare, quia *non est idem natura qua sexus discretum cum sexu, nisi velimus causam & effectum idem esse*. Belle! quasi sexus discernere, sit sexum efficere. porro per sexum *virum & mulierem à se invicem discerni*, non puto negabit vir doctus. at hoc *natura* attribuit Borstius. unde cum *naturam* pro *sexu* accepisse existimavi, & adhuc existimo. si secus est, indicet hoc viro docto, ut is saltem nunc intelligat quæ manus suæ subscriptione antequam intelligeret sancivit.

Iam, sive hæc sit sententia auctorum illorum, quos, quia per eos hac in parte profecisse me arbitrabar, ingenue nominavi, sive mea, quia eam, ut ait vir doctus, adoptavi, certum quoque est eam ab injuriis quibus fas est modis defendere.

Dicit

Dicit ergo vir doctus: *Esto*, sumatur aliquando *φύσις* pro *Sexu*; auctori tamen huic probandum *suspereſt* (juxta id quod ait *Diſput. i. theſ. 7.*) hic ita ſumi, præſertim cum hæc ſignificatio rarior ſit, nec unquam aut apud *LXX.* aut apud *N. T.* ſcriptores occurrat. Reſp. Quod *Diſp. i. theſ. 7.* me dixiſſe ait, tale eſt: *Poimenander* ex voce naturæ quæ apud Paulum occurrit, concludit naturæ legem, quia alicubi hoc ſignificet; negavi id ſequi, quia plures ſunt acceptiones ejus vocis. quas ex ipsis ejus *εὐνοίας* attuli. Procedere ergo argumentum ex particulari. Hic omnibus illis ſignificationibus unam etiam ſuperaddo, quam ipſe vir doctus in fine theſeos ſuæ probabilem eſſe fatetur. hoc auget vim meæ *εὐνοίας* adverſus *Poimenandrum*. Vult vir doctus me demonſtrare eam eſſe ſequendam, prout poſtulabam à *Poimenandro*. verum iniquum eſt hoc poſtulatium, cum cauſa diſpar ſit. *Poimenander* è voce naturæ colligebat naturæ legem, ego eam vocem aliter poſſe ſumi aio, ideoque *Poimenandri* conſequentiam nullam eſſe. hoc unum eſt. Deinde acceptionem hanc lectotibus non obtrudo ut neceſſariam, ſed cur eam reliquis præferam, rationes adduco *rheſ. xi.* ubi eæ examinabuntur.

Expendamus jam rationes, quas vir doctus in contrarium adducit: prior eſt, quod
hæc

hac significatio rarior sit. altera, quod nunquam aut apud LXX aut apud N. T. scriptores occurrat. Resp. prior ratio prorsus est ἀσυνήγιστον. rarum est, ergo ab Apostolo non usurpatum. sunt enim in utroque Testamento, non solum rara quædam, sed & ἀπᾶξ λεγόμενα. verum hoc omisso, quæro an significationes à viro docto, & iis qui cum ipso faciunt, inductæ, omnes tritæ ac vulgares sint? non puto dicturum. neque hoc ergo hic eum æquum est exigere. Altera ratio etiam frigidior est, nam Hebræi vocabulum quo *sexum* in communi expriment non habent, unde nec Septuaginta aliquid ei in græco respondens versioni suæ infercire debuerunt. licet id vulgata latina, valde licenter, nec paucis in locis fecerit. Dicam aliquid amplius: Si inde sequitur, φύσιν non significare sexum, quia ea significatio non occurrat apud Lxx. sequetur φύσιν nihil significare, quia ea vox nusquam in toto versionis illius opere comparet. nisi hic indiligenter fuit Kircherus qui in Concordantiis græco-hebraicis nusquam illam recenset. De Novo Testamento quod addit, non assentior. Semper enim arbitratus sum vocem φύσεως Rom. i. 26. sexum designare. ratio hæc est, si enim legem, aut rectæ rationis dictamen, aut simile quid denotaret, verba illa: αἴτε γὰρ θήλειαι αὐτῷ μετήλλαξαν τὴν φυσικὴν χρῆ-

G

σιν

σιν, εἰς τὴν ὡρᾶν φύσιν, nihil aliud sibi vel-
 lent, quam eas coitu legitimo non con-
 tentas, in eos qui legi adversantur, puta in
 scortationes & adulteria se effudisse. at
 longe aliud Paulum sibi velle patet è seqq.
 aliud igitur φύσις & τὸ φυσικὸν ibi signifi-
 cat, item τὸ ὡρᾶν φύσιν, nempe sexum, &
 quod ei vel convenit, vel ab ea alienum est.
 Supra verbo attigi quæ hac in parte Pauli-
 nis consentanea habet Diod. Siculus lib.
 31. apud Photium, cum locum nunc inte-
 grum ascribam. loquitur autem de puella
 (ut videbatur) quæ postea sexum mutavit.
 διετὴ μὲν ἔν ἡρόνον συνεβίωσε τ' ἀνδρὶ, τὴν μὲν
 γυναικείαν ἐπιπλοκὴν ἐκ ἐπιδεχομένη, τὴν δὲ
 ὡρᾶν φύσιν ὁμιλίαν ὑπομένειν ἀναγκαζομένη.
 quis non videt, cum τῇ γυναικείᾳ ἐπιπλοκῇ
 opponitur ἢ ὡρᾶν φύσιν ὁμιλία, intelli-
 gam quæ est ὡρᾶν φύσιν γυναικείαν, .i. alic-
 na à muliebri sexu? sic etiam accipiendā
 quæ sequuntur apud Paulum v. 27. ubi
 nominat τὴν φυσικὴν χεῖρσιν τ' ἡλείας. &
 ei masculam Venerem opponit. confer Io-
 sephum in Apionem lib. 2. μίξιν μόνων δι-
 δέν ὁ νόμος κατὰ φύσιν τὴν πρὸς γυναῖκα, καὶ
 ταύτῃ εἰ μέλλοι τέκνων ἕνεκα γίνεσθαι, τὴν ἢ
 πρὸς ἀφρένας ἐσύγηκε. & Philonem de Legi-
 bus in spec. pag. 535. edit. Turnebi, ὁ ἢ
 παρδερσῆς ἔστι τὴν αὐτὴν δίκην ὑπομένων,
 ἐπὶ τὴν τὴν ὡρᾶν φύσιν ἡδονῶν διώκει. In his
 omnibus φύσις procul dubio sexum notat,
 non

non autem legem aut rationem in communi, alioqui causa nulla esset, cur hisce peccatis peculiariter, ac non etiam aliis ea appellatio tribueretur. Pergamus in auctore nostro:

Thesi xi. ut' acceptionem quam attuli ad rem de qua agitur pertinere constaret, quomodo *sexus doceat* viro inhonestam esse comam prolixam, ita edisserui: *Sexus virilis & muliebris inter se comparati docent, illum quidem ad imperium, hunc ad subjectionem natum esse, ideoque illi, non autem huic, potestatis insignia convenire. Inter quæ cum apud Corinthios censeretur caput integumento liberum, hinc sequitur, non nisi inhonestum ILLIS esse posse, si id capillis muliebrem in morem velatum haberent. Cum vocem ILLIS interposui, emphasin r̄s v̄ḡs, quod est in' textu, expressi. Omnes siquidem viros *sexus docet* ipsis convenire potestatis insignia in communi: Corinthios nominatim, hoc insigne in specie, proptee rationem jam dictam. Ad hæc vir doctus multa multis. 1. Fatetur verum esse, ex sexu virili & muliebri patere, illum ad imperium, hunc ad subjectionem natum esse. hætenus ergo nobis convenit. sed 2. minime valere dicit, quod subnecto. 1. quia dicam, non probem in conversatione civili caput ab integumento liberum apud Corinthios signum fuisse imperij, & vela-*

sum *subjectionis*. contrarium autem demonstrare nititur ex Cl. Salmasij Epist. de Coma p. 660. Resp. 1. Nego me dixisse, quod hic mihi impingit. relegantur verba à me posita, & nusquam *in conversatione civili* apparebit. Sed id addendum fuit meis verbis, ut haberet quod cum aliqua veri specie opponeret. Apage sinistram liberalitatem. 2. Miror quæ nova veneratio virum doctum inceserit, quod nudam auctoritatem Cl. Salmasii in hac causa demonstrationis vicem habere postulet. quam viam si ego vicissim insistam, septem observationibus quas ex ejus assertionem colligit, non septem alias *ἀλλ' ἐως ἐβδομηκοντάκις ἐπὶ* illi objiciam, ac totam ejus causam uno impetu evertam. 3. videamus quid meis dictis Salmasiana incommodent. Dixi *apud Corinthios inter potestatis insignia fuisse caput integumento liberum*. Salmasius dicit: *Græcos in civili vita, & conversatione communi pileo caput semper texisse*. hæccine mihi adversantur? non possunt, nisi hoc argumento: quod græci in conversatione communi non fecerunt, id ipsis non fuit potestatis insigne. At id si verum est, nec corona aut sceptrum regibus erit potestatis insigne, quia in communi conversatione iis non utuntur. videtur hic auctor, præ contradicendi ardore, prorsus oblitus esse eorum quæ ipse docuit

cuit Quæst. Text. i. thesi 6. ubi ait: Signum dignitatis & auctoritatis virilis *per se esse carentiam velaminis, per accidens autem ejus coopertionem*, quæ inventa sit ad injurias aëris vitandas, pluvias, ventos, frigora, quæ capiti nudo magis incommodant, quam aperto. videatur locus, & huc applicetur, mirabitur lector, virum doctum hic quasi frontibus adversis ea opponere, quæ illic pulcre convenire existimavit. Hæc ad inconsequentem viri docti consequentiam. Interim ignoscet spero tarditati meæ Cl. Salmasius, si hæc duæ quæ in ejus verbis occurrunt, nempe *Semper & præcipue*, quomodo cohæreant non satis capio. videtur enim posteriori voce innui, rectionem capitis non fuisse generalem, sed eorum tantum qui ea maxime indigebant, quales erant qui sæpius tondentur. verum progrediamur. Ex verbis Salmasii hæc se habere ait vir doctus: 1. *In omni Græcia morem sæpius tondendi apud viros obtinuisse.* 2. *Viros qui sæpius tondendi soliti essent caput pileo semper texisse.* 3. *ne quidem cum sacra facerent pileos possuisse.* 4. *sacerdotes gentilium comatos fuisse & tiaratos.* 5. *sacerdotes gentilium etiam in capite habuisse tiaras cum sacra facerent.* 6. *pueros qui comati erant & cinctos caput non texisse.* Atque adeo 7. *apud Corinthios caput integumento liberum non*

fuisse signum imperii, & rectum subjectionis.

Resp. Septimum illud, quod unicum viro docto sufficeret, non ex Salmasio habet, sed de suo thesauro illi largitur, ita non tantum in me, sed & in illum, qui minus indiget, liberalis est. Dicit se hoc ex Salmasianis concludere. Non debuit ergo Salmasianis, quod facit, annumerare. Sed videamus conclusionis hujus necessitatem, repetitis omnibus quæ ex Salmasio se habere gloriatur. primum est: *In omni Grecia morem sapius tondendi apud viros obtinuisse.* Resp. At non apud omnes viros. nam Salmasius distinguit eos qui sæpius tondebant, ab iis qui non ita sæpe. qui nam ergo ii erant qui sæpius tondebant? homines *elegantes & deliciofi.* eorum enim has notas ponit Theophrastus, *πλειστάκις ἀποκείρεσθαι, καὶ τὰς ὀδόντας λευκὰς ἔχειν, καὶ τὰ ἱμάτια ἢ χρηστὰ μεταβάλλεσθαι, καὶ χρίσασθαι ἀλείφεσθαι.* Ut ipse Salm. se docere potuit Ep. de Coma p. 332. at hi minimam virorum partem constituebant. nam & philosophi hoc negligebant *ἄφ' ἡγερείαν* & promiscua multitudo *ἄφ' φειδύλιαν.* procedit ergo hic argumentum viri docti ex particulari, atque ita nihil concludit. Secundum quod vir doctus ex Salmasio habet, est: *Viros qui sapius tonderi soliti essent, caput pileo semper texisse.* Resp. At eos omnium paucissimos fuisse jam indicatum

catum est, nisi etiam commune omnibus
 viris in Græcia fuisse dicas, *dentes dealba-*
re, vestes adhuc bonas novis mutare, un-
guentis delibutos incedere. quæ & divitum
 & effœminatorum hominum sunt. est er-
 go hic idem paralogismus. Tertium, quart-
 um, & quintum est, *eos capite tecto sacra*
fecisse, & sacris interfuisse. huc enim om-
 nia redeunt. Resp. 1. Saltem sacra Saturni
 exciperes. notat enim Servius ad Æneid. 3.
Sacrificantes omnibus Diis caput velare con-
suetos, ob hoc, ne se inter religionem vagis
offerret obturibus, excepto Saturno. quod
 & observavit Salm. Ep. p. 661. sed clausis
 hoc oculis præterit vir doctus, ut prorsus
 universalem hunc ritum fuisse credamus.
 2. alia fuit hæc obtectio capitis quam ea
 quæ fit pileolo. neque enim is obtutum
 adimit, sed fuit oculorum & faciei obvo-
 lutio, quapropter nihil ad rem facit de qua
 agitur. potuerunt enim faciem pallio in-
 volveri durantibus sacris etiam ii qui nu-
 do capite incedebant. imo illi commodius
 quam pileati. quod si mihi non credat vir
 doctus, credat insigni Theologo nostræ
 reformationis Rodolpho Gualthero, qui
 in hunc locum scribens, postquam luxum
 Corinthiorum in vestitu perstrinxisset, *Ma-*
ior tamen, inquit, erat superstitionis culpa,
quod nimirum eodem habitu, & fortassis
isidem quoque gestibus in costibus sacris ute-
 rentur,

rentur, quibus à pueris in gentilismo assue-
rant. Et hoc potissimum spectasse videtur
Apostolus, quando viros aperto capite, mu-
lieres autem velato orare & prophetare ju-
bet. Nam ut Plutarchus in problematibus
scribit, solebant viri inter gentes, & in pri-
mis quidem ii qui Romanorum legibus vi-
uebant, Deos suos velatis capitibus adora-
re, & inter sacra VESTEM AD AVRES
VSQVE ATTOLLERE, partim quidem,
ut eo gestu & habitu se HUMILIORES
redderent, partim ne inter precandum triste
quid aut ignominiosum (mallet legere, o-
minosum) aliunde auribus occurreret, quo
animi deuotio turbaretur. Meminit hujus
Virgilius quoque, qui Helenum Ænea sic lo-
quentem intraducit:

Purpureo velare comas adopertus a-
mictu,

Nequa inter sanctos ignes in honore
Deorum

Hostilis facies occurrat, & omnia (leg-
omina) turbet.

Hunc socii morem sacrorum, hunc ipse
teneo,

Hac casti maneant in religione nepo-
tes.

Et contra mulieres fere passis capillis sacra
celebravisse, cum ex aliis locis, tum ex eodem
pœta colligi potest, qui funus Polydori in-
stauratum & circa hoc facta sacrificia descri-
bens,

bens, inter alia dicit:

Et circum Iliades crinem de more soluta.

Quia ergo non tam luxu quam superstitione peccabatur, & hac etiam in re ethnicorum atque infidelium similes erant ii qui iam Christo nomen dederant, Paulus hanc causam diligenter & graviter tractat, docens tam viros quam mulieres decere, ut modestia & honestati in habitu quoque studeant, imprimis autem, ut inter sacra Christiana ne habitum quidem gerant cum infidelibus & idololatriis communem. 3. Ad id quod sacerdotes tiaras perpetuo in capite gestarent, respondebo viro docto, idem quod ipse respondit de sacerdote populi Judaici Disp. text. 1. thes. 6. Pontifex (addo, & sacerdos) communi virorum sorti exemptus fuit (illic per legem divinam, hic per superstitionem paganam) Exceptionem à lege communi continebat velamen illud, non vero everisionem. Sextum, è quo vel uno se conclusionem suam extundere posse sperat, est, pueros qui comati erant, & cinados caput non texisse. atque adeo 7. apud Corinthios caput integumento liberum non fuisse signum imperii, & tectum subjectionis. Nisi placitum sit mihi statuere, penes pueros & cinados in omni Gracia imperium fuisse, subjectionem vero penes plerosque viros, & inter eos penes sacerdotes, etiam cum

G 5

SACRA

*sacra peragerent. Aut viros pra reliquis
 praestantes, cum à servis, aut ab aliis qui ip-
 sis inferiores essent, compellarentur, aut ipsi
 eos alloquerentur, pileos suos à capite remo-
 visse, hos vero recto fuisse capite. Resp. Hic
 multa occurrunt κίβδηλα & χολόβαφα. 1.
 Quod ait de pueris, & inter illos cinædis,
 huc non spectat, quia apostolus agit de
 VIRIS, unde ipse vir doctus concludit, DE
 PVERIS QVÆSTIONEM PROPOSITAM IN-
 TELLIGI NEQVIRE. Quæst. theol. p. I.
 thes. I. itaque conclusio quam attexit nul-
 la est, quia cum dicimus apud Corinthios
 caput integumento liberum fuisse symbo-
 lum imperii, id de capite VIRILI intelli-
 gimus, non de PVERILI. multo minus sequi-
 tur spurcum illud, nempe penes pueros &
 cinados in omni Gracia imperium fuisse.
 Imo hoc ultimum magis sequitur ex sen-
 tentia viri docti. nam ut inter pueros mi-
 liebrem in modum comati, ita inter viros
 sapius tonsi habebantur pro effoeminatis;
 ut Musonius philosophus notat apud Sto-
 bæum. ἤδη δὲ πνευ καὶ αὐτῶ τῶ βαρύνεσθ τὰς
 τρίχας κείρονται, καὶ λεαίνουσι τὰ χύσια, σα-
 φῶς εἶποιε χαπαρῆτες καὶ ἐκνευρωμένοι
 παντάπασιν, οἷον ἀνέχοιτες ἀνδρόγυνοι καὶ γυ-
 ρακῶδεις ὀρεῖσθ ὄντες. id est: Iam sunt &
 qui tanquam graves & nimium ponderosus
 capillos desondeant, & barbam radant, ma-
 nifesto quidem isti deliciis fracti & enervati
 omnia*

omnimodo, qui sustinens conspicitur tanquam SEMIVIRI & EFFOEMINATI, id quod revera sunt. laudatur locus à Salm. Ep. p. 534. cui consentit, quod auctor egregius Io. Pierius Valerianus Apol. pro sacerdot. barb. p. 10. ait: *Omnis pilorum depositio, muliebri nescio quid, omnium feregentium & temporum consensu sapere visa est.* 2. falsa aliquot præsupponit vir doctus, nempe *delicatos hosce, crebro detonsos, dentibus dealbatis &c.* aut etiam sacerdotes, fuisse plerisque *Gracia viros.* quæ supra refutata fuere. Deinde inconsequens est illud: *Caput integumento liberum fuit symbolum imperii, ergo domini coram servis caput detegebant.* præsupponit enim Dominos ordinariæ pileatos fuisse, quod est $\omega\epsilon\gamma\acute{\omega}\tau\omicron\nu\ \psi\epsilon\upsilon\delta\theta$. capite inceserunt detecto, nec opus ergo fuit eis illud detegere. quod si ob injurias aëris illud quandoque texissent, non opus fuit eos ad servis ostendendum suum dominium (quod illi non ignorabant) tegmen capiti detrahere. *Si enim* (recognoscat sua verba vir doctus, ex Quæst. text. 1. thes. 6.) *alterutris aliquid incommodi perferendum est, ubi excellentia superiorum signum aliquod exhibendum est, præstat ut illud in inferiores quam in superiores recidat.* Denique viros olim detectis capitibus incessisse, certum fuit Polydoro Virgilio, De Invent. rerum lib. 3. c. ult. *Est* (inquit) *vel*

novitium inventum illud laneum tegmen capitis, quod biretrum vocant. Veteres enim OMNINO caput non velabant, sicuti testantur numismata, vel ipsa statua, qua, ut Roma vidimus, apertum caput habent, praesertim cum propalam sit, nos patrio more eo fingi vestitu, quo prorsus utimur. Sed omnino Caji Caesaris exemplo significantius comprobatur: is enim auctore Tranquillo, cum calvitii deformitatem iniquissime ferret, obtrektorum saepe jocis propositam, deficientem capillum revocare à vertice consuevit, ut illam obtegeret. Quod quidem quis non videt ab eo fieri subabsurdum fuisse, si more patrio commodius decentiusque caput, hoc est, dehonestamentum illud calvitii, obnubere potuisset? Ex quo apparet, recens esse inventum hoc operimentum capitis, quo nunc passim utimur, auctor tamen ignoratur.

Addit vir doctus me in pronomine *ip̄is* emphasin gratis confingere, ut commentum meum ipsi approbent, cumque nulla emphases praeter necessitatem confingenda sint, mihi probandum fuisse, necesse esse ut *ip̄is* loco de quo disputatur, emphatico sumatur. Resp. Ego vero arbitror nullum apicem scripturae sine emphasi aliqua positam esse, nisi ubi constat vel ex genio linguae, vel alia necessaria ratione hoc vel illud redundare, id autem hic locum habere, viro docto

Et o probandum incumbit. Quod si ego hic emphasin finxi, quid ipse fecit quum eam invenit in voce VIRI, ut pueros excluderet? quid Borstius, quum è modo proponendi per INTERROGATIONEM colligit, Corinthios de hac veritate in animis suis convictos esse? cur porro à me postulat ut probem sensus à me positi NECESSITATEM, quod nec ipse fecit, nec quisquam eorum qui cum ipso faciunt? illorum tamen hoc erat, quibus solenne est sua sub pœna æternæ damnationis sancire, non meum, qui quod Dominus dedit, ingenue in medium attuli, & viri eruditus, pari libertate dijudicandum reliqui. Placet illud Hadriani Junii, qui in literato illo suo (ut ipse vocat) *lusu de Coma*, Negat se tyrannice velle sancire quod sibi probaretur, sed multiplici solum auctoritate, & probabilibus rationibus id vindicare. utinam omnibus idem animus esset! Non lusus ille in funestam propemodum tragœdiam erupisset.

Sed nullam hic emphasin locum habere, ex iis quæ dicta sunt, inquit, patet. Resp. Imo ex iis quæ responsa sunt, contrarium potius patere, æqui, ut spero lectores judicabunt. Verum omnes jam machinas adinovel ad hanc meam observationem, quam *commenti* nomine iterum nobilitat, convellendam. Si valet, inquit, hoc *commentum*

commentum

mentum auctoris hujus, jam NECESSARIUM
 erit viris, cum orant aut prophetant, tecto
 esse capite. quoniam opertio capitis nunc sig-
 num imperii & potestatis est in conversatio-
 ne civili. Resp. Nego sequi. neque enim
 hæc Pauli monita sunt de NECESSARIO, sed
 de DECORO. neque quod nunc caput in
 orando aut prophetando detegimus, est ad
 ostendendam potestatem in mulieres (quod
 tamen Paulus à Corinthiis volebat fieri,)
 sed potius ad testandam *subjectionem* no-
 stram erga Deum. appello omnium con-
 scientias, qui templa frequentant, aut eti-
 am privatim orant. non ergo facimus quod
 ab Apostolo injunctum est Corinthiis, sed
 prorsus diversum, ut solemus clarius est. LIBE-
 RUM porro esse in orando aut prophetan-
 do etiam caput tegere, ubi decorum per-
 mittit, docet praxis ecclesiarum reforma-
 tarum, quarum pastores Belgæ plerique
 caput calota (ut vocant) etiam dum preces
 publice & omnium nomine habent, tectum
 servant, Gallici autem ministri dum con-
 cionantur pileum quoque superimponunt.
 Neque vel verbo à viro docto, eo nomine
 reprehenduntur. Expecto quam mox ne-
 get hæc esse integumenta, & quod qui-
 dam censet, apertum manere viri caput,
 sub utroque gestamine, modo id non in-
 duatur velo muliebri. id enim solum ab
 Apostolo esse vetitum. quod si verum est,
 audo

nudo capite erit vir vel decem pileis onustus, modo uxoris calyptram vertici non imponat. Addit: *Neque tantum operto DEBEVNT viri esse capite cum orant aut prophetant, verum etiam comas nutrire, iisque caput suum obvolvere ipsis NECESSARIUM erit.* Resp. Nego iterum illud DEBENT, & illud NECESSARIO, ob rationem sæpius allatam. Porro LIBERUM eis esse, ubi decorum patitur, comas usque ad scapulas & tergum nutrire (quod Poimenander crimen contra naturam esse asserit) & vir doctus, & Borstius nos docent, ut aliunde ejus probationem peti supervacaneum sit. Obvolutionis alia ratio est, quia non tunc tantum cum Paulus scribebat, sed nunc quoque ea muliebris habetur, nec proinde viris decora est. *At, inquit, juxta doctrinam Apostoli velamen asciticum ita connexum est naturali, ut unoposito alterum ponatur, & sublato tollatur.* Resp. Ergo mulieres cum propter psoram aut catharrum attendentur, quod DEBET fieri, si viro docto & Borstio credimus, simul jubendæ sunt calyptram & velum abjicere, & nudo, licet scabioso vertice in publicum prodire. id enim exigit connexio naturalis tegumenti cum ascitico. nec viris licebit ut callota quæ aures abscondat (qualem tamen multi sine ulla censura gestant) quia eas sub capillis

latere

latere nefas est, si credimus Poimenandro:
nam & hic valere debet regula, de con-
nexionem utriusque velaminis. Ad rem,
connexio illa non est in se NECESSA-
RIA, sed libertæ institutionis, ob morem
illius loci & temporis quo Paulus scribe-
bat. *Ad hæc, inquit, oportebit mulieres
non tantum aperto capite comparere in cœ-
tibus ecclesiasticis, verum etiam raso aut ton-
so. Nam quod viris Apostolus in disputa-
tione de velamine tribuit, id mulieribus ne-
gat.* Resp. Si hoc sequitur, oportebit vi-
cissim viros non solum in cœtibus ecclesia-
sticis, verum etiam in plateis detecto capite
esse, quia mulieribus utrobique incumbit
rectas esse; At nec in conventibus eccle-
siasticis viri semper caput detegunt, cum
per totum concionis tempus id operiant,
nec in publico, ut patet. Falsa est igitur
ista consecutio, nisi tantum illo tempore
& illis locis, quibus iidem ritus obtinent,
qui Paulo scribente Corinthi fuerunt.
*Addit: Si nihil habeat aliud auctor hic quo
Dialogistam ab exceptionibus meis liberet
quam id quod attulit, & quod jam refuta-
tum est, necessum est, ut iis æternum con-
strictus hæreat.* Resp. Vis hæc quidem
est. neque enim ego sumsi Dialogistam à
tuis exceptionibus liberandum, sed sen-
sentiam hanc ita explicatam. quam sen-
sentiam arbitror Dialogistam, licet paulo

RES:

perplexius, innuisse, Borstium autem sic satis clare extulisse. Si Dialogistam ejus causa constrictum tenes, etiam Borstium cum eo in eandem caveam conclusisti. An vero ea quæ pro illa attuli *refutaveris*, è responsionibus meis spero omnibus jam constare, & vincula tua æterna quæ jactas, vi veritatis ita disrupta jacere, *quemadmodum disrumpitur filum stupeum cum sentit ignem*. Iudic. 16. 9. Pergit vir doctus: *Pessem* (inquiens) *nunc ad alia progredi; nisi notandum dacerem*. 3. *Auctorem hunc affirmare, Apostolum I. Cor. II. 14. 15. de inhonesto disputare*. *Ait enim*: Inter quæ cum apud Corinthios censeretur caput integumento liberum, hinc sequi, non nisi inhonestum ILLIS esse posse, si id capillis muliebrem in modum velatum haberent. *Atque adeo male in dubium vocasse Disp. 3. de coma Thef. 8. num Apostolus id quod vetat, sub ratione peccati vel illiciti vetet, cum id possit dissuadere, sub ratione incommodi*. Nam plane paradoxon est, eum qui dissuadet aliquid sub ratione ejus quod non nisi inhonestum esse potest, id non dissuadere sub ratione peccati vel illiciti, Resp. Duplex vitium est in illo epicheiremate: primo quod verba mea, quæ satis integra proposuerat, mox in argumentando mutilat. neque enim dixi, id quod Apostolus dissuadet, non nisi inhonestum esse posse, sed

prono-

pronomen ILLIS ad emphasin interposui, idque ex ipso textu. Deinde, quod ea in alium sensum detorquet. per *inhonestū* enim non intellexi *peccatum*, sed *indecorum*, tale videlicet, ex quo existimatio detrimentum potest capere, ideoque ad *incommoda* quidem semper recte refertur, peccatum autem non semper nec necessatio conjunctum habet. ut ex Disp. v. viro docto constare poterat. ad quam de hac re latius agetur. Nulla ergo in verbis meis pugna, nullum *πυγδδοξον*, nisi in phantasia viri docti.

Alterum quod notari vult, est: *Se quando contendit non valere rationem qua ego probare nitor, vocem natura apud Apostolum, sexum denotare, minime negare, probabiliter dici posse, vocem hanc, loco de quo disputatio est, significationem sexus obtinere. Nam non omne illud (inquit) quod ab aliquo non recte probatur, mox ut falsum, aut omni probabilitate destitutum reputandum est. Alioqui enim multa capita religionis Christiana, ubi male probantur (sicuti aliquando contingit) contra adversarios, statim repudianda forent. Ratio autem quare negare nolim, probabiliter id de quo locutus sum, dici posse, est: quia sexus mediante ordine, inclinatione, & honestate naturali docet, viro dedecori esse, mulieri vere decori, ἰὰν καμῶν. Resp. Hic duo habemus, quæ*
vis

is veritatis, ab adversario expressit. 1. Naturæ vocem (ut observaveram non modo, sed & demonstraveram) interdum pro sexu usurpari. 2. probabile esse, eam ita hoc loco ab Apostolo accipi. quod & ipse dixi Disp. 4. thes. 1. In hoc autem mihi largitur quicquid in bonam partem ulli earum quæ vel ab ipso vel ab aliis allatæ sunt acceptioni tribuit. Quod ut pateat, utque opportuna simul ἀνακεφαλαιώσθ hoc caput concludatur, age in memoriam vocemus, quid de singulis judicet. Sub novem titulis habuimus undecim significaciones vocis NATURÆ in loco Paulino. Earum primam & secundam in suis Disputationibus prorsus omittit, atque ita eas ad suum gustum non esse ostendit. tertiam *probabilem* putat. quartam *probabilitate non carere*. quintam mecum rejicit. de sexta nihil pronunciat. tres illas quas sub septimo titulo habemus negat se velle defendere. eam quæ octavo loco recensetur, ab objectionibus non incommode vindicat, nec tamen ut suam, sed ut alienam proponit. Nonam (quam ego vel observavi vel expolivi) prorsus ut tertiam & quartam, *probabilem* esse, item, *probabilitate non omnino destitutam* hic fatetur. Porro cum vir doctus nobis suppeditaverit eam distinctionem, qua *Naturam aliquid docere* ait, *vel prorsus est res quadam ex cuius*

ius

jus contemplatione cognitionem haurimus,
vel prout est actus sive operatio quadam no-
stra, cognitionem producents, priorem mo-
 dum notavi locum habere in acceptione
 octava, posteriorem in nona. easque mihi
 (servato duplici quem diximus sensu τὸ
διδόναι) maxime probari professus sum.
 An vero Apostolus naturam hic sumserit
 prout docet per modum principii, an prout
 per modum objecti, nec vir doctus defini-
 vit, & ego in medio reliqui, hoc demon-
 strare contentus, quod ex neutra acceptione
 (ut neque ex reliquis) sequatur Aposto-
 lum hic leges dare, & quidem universalis
 ac perpetuæ observationis. non ex priori,
 quia recta ratio (ita natura in illa sumitur)
 non solum proponit leges de licito & illicito,
 sed & monita circa res indifferentes.
 Non ex altera, quia ratio qua Paulus eam
 probat, desumpta à symbolo imperii & sub-
 jectionis, non est omnium vel gentium vel
 temporum, atq; adeo passim in contrarium
 mutavit. Porro hac occasione textum Pauli
 illustrare conatus sum, indicata emphasi
 τὸ ἴσως, ad quam alii parum videbantur
 attendisse. Quod hæc omnia fastidit vir
 doctus, & nihil valere pronunciat, facile
 fero, nam & ipse nanciscetur qui vicissim
 de suis judicent. Unum rogo ut patiat se
 moneri, rem in Theologia summi periculi
 esse, cum rem ipsam improbare non possis,
 tamen

amen destruendis quibus ea stabilitur rationibus operam dare, id quod per totam hanc disputationem Vir doctus facit. Dicit uidem contingere in multis capitibus regionis, ut rei veritas recipiatur, rationes utem quædam, quod seam perperam proferant, rejiciantur. Verum qui omnes aliorum rationes repudiat, ipse autem meliores nullas affert, is dogmatis quoque veritatem in suspicionem adducit, & eo interitum pedem promovet, unde eum postea non sit integrum reducere. De ordine, inclinatione, & honestate naturali quæ inculcat, suis locis quantum satis est excussant.

Putabam me portum tenere, sed alia res occurrit minime negligenda, Sententiam meam, qua Paulinum locum de integumento capitis, non legem universalem, sed ritum illi tempori, loco, ac genti accommodatum esse disserebam, vir doctus aliquoties *commentum meum* vocat, meque ad id persuadendum emphases ait *fingere*. quod ne cui scrupulum moveat, advocabo ad hanc causam præstantes aliquot ecclesiæ reformatæ theologos, qui idem mecum sentiunt. Petrus Martyr postquam locum Paulinum explicasset, *Videtur*, inquit, *ea tempestate. & in illa ecclesia, velatum caput subjectionem representasse, & apertum libertatem. Quod apud nos videtur secus fieri.*

fieri. Nam caput aperimus dignioribus, & quibus nos utcumque subjectos vel saltem obsequentes declarare volumus: & contra, capitis tegumento libertatem ac potestatem indicamus: unde agentes cum inferioribus caput non aperimus. Verum Paulus utitur symbolis, prout ea significare apud eos reperit, cum quibus agebat. Beza in Nota ad eundem locum: Hanc Pauli, inquit, legem ad ἐνταξίαν pertinere, ac proinde non sine distinctione locorum & temporum accipiendam, vel ex eo intelligi potest, quod hodie contraria prorsus ratione, capite operto in cœtu loqui, signum est auctoritatis: aperto vero subjectionis testimonium. Gualtherus ad eundem: Sed hic quaestio nascitur: quomodo vir caput suum dedecorare dicatur, si illud aperiat aut tegat? quomodo item mulier suum caput dedecoret, si illud denudet aut aperiat? Respondeo, Paulum ex illius seculi consuetudine argumentum petere. Nam illo tempore capitis apertio dignitatis & imperii symbolum erat, velum vero subjectionis. Itaque verborum istorum sensus est: viros sibi ipsis injuriam facere, si caput velando in sacris cœtibus dignitatem & eminentiam suam, qua eos Deus ornavit, diffiteantur: injuriam vero illam in ipsum Christum redundare, quem totius virilis sexus caput & principem esse supra dixit. Patæus ad eundem: Indico, inquit, Apostolum

um reprehendere non simpliciter comam aut pileum viri prophetantis, sed κακοζήλιαν, de qua dixi, quod vel philosophorum more conati ad sacra prodirent, vel paganorum sacerdotum ritu, quasi sacrificaturi caput miris redimirent. Et postea: Pileus erat libertatis signum, non omnibus, nec semper, nec ubique, sed servis, qui pileo imposito manu mittebantur apud Romanos, & pileati dicebantur, non quod semper pileo tecti incederent, sed quod semel pileo emancipati essent. Apud Græcos, maxime Corinthios, videtur dissimile fuisse. Nec dubitarim Apostolum maxime hic, quid apud Corinthios & Græcos deorum videretur, respexisse. Vnde non necesse est omnia hac ad universos populos trahere. Diodatus in Bibliis Italicis, ad marginem hujus textus ita annotat: Da hora un nuovo precetto, appartenente all' honestà pubblica: cioè, che le donne negli atti publici delle sacre raunauze, sieno velate; gli homini habbiano la testa scoperta. la ragione è tolta dall' uso di que' luogi & tempi, dove il capo coperto era segno di soggectione, è scoperto segno di maggioranza & signoria: onde per seruar l'ordine de' gradi da Dio stabilito fra' l' sesso degli huomini, è quel delle donne, conuiene che nella Chiesa si ritengono que' segni ricevuti per commun consentimento. id est: Nunc dat præceptū novū, perti- nens ad honestatē publicam, videlicet ut mu- lieres

lieres in actibus publicis sacrarū congregatio-
 num, sint velata; viri autem aperto sint ca-
 pite. Ratio sumta est ab usu illorum locorum
 ac temporum, quibus tectum caput erat sig-
 num subjectionis, detectum vero signum
 majoritatis & dominii. Unde, ad servandum
 ordinem graduum quos Deus stabilivit inter
 sexum virilem ac muliebrem, convenit ut
 in ecclesia retineantur signa illa commu-
 ni consensu recepta. Iacobus Laurentius,
 minister Ecclesiæ Amstelodamensis, in
 opere cui titulum fecit, Paulus *δυσνόητος*
 Loco 27. (qui est idem quem hic excuti-
 mus) cum verbum *ὁφείλει* legem ac præ-
 ceptum significare dixisset, addit explica-
 tionis causa, legem autem & præceptum hic
 intelligo, non omnino divinam, hoc est, eam
 qua pertinet ad fidem, & immutabilis est,
 sed ecclesiasticam, pertinentem ad ordinem
 regimenque ecclesiæ, ac pro ratione temporis,
 loci, ac constitutionis ecclesiarum, ex com-
 muni tamen suffragio, mutabilem. Et post
 multa: Ex quibus omnibus triplex hic existit
 questio: I. an omnino non liceat viris in ec-
 clesia orare, aut pastoribus predicare, capite
 tecto? II. An omnino non liceat viro ince-
 dere capite velato, ut pileo, vel alio aliquo
 tegumento? III. An non liceat viris pro-
 lixos crines gerere, aut pastoribus etiam co-
 mam & barbam alere? Respondeo ad om-
 nia simul atque universim: I. Omnia ista
 in se

in se sunt adiaphora, atque indifferentia.
 2. *Consuetudo hac in re apud omnes gentes non semper, nec ubique eadem, sed diversa; & apud quasdam honor aestimatur, crines, & comam, & barbam nutrire, apud alias vero ignominia & dedecus. (& post nonnulla alia) Nec dubitandum, respexisse Apostolum, quid apud Gracos, ipsosque Corinthios tunc temporis magis decorum, nequaquam autem vel absolute comam vel tegumentum omne in viris reprehendere, sed κακοζήλιαν, omnemque foemineam mollitiem. Et mox: Quemadmodum ergo omnino ac serio improbanda ac castiganda est adolescentulorum, atque adeo etiam virorum quorundam ac senum hujus nostri ævi in capillorum & comarum prolixitate plusquam nimia luxuries, superbia &c. ita quoque probare omni ex parte non possum severam illam ac rigidam quorundam sententiam, qui omnem capillorum prolixitatem, omnesque comas in quolibet, etiam in adolescentulis, absque ullo discrimine status aut conditionis simpliciter atque absolute damnant, quasi rem per se malam & peccatum, atque ab Apostolo in presenti capite precise prohibitam; barbas interim prolixissimas vel ipsi alentes, vel in aliis non modo non culpantes, ac tolerantes, sed etiam probantes ac laudantes, &c. Et interjectis nonnullis, Equidem, inquit, si omne velamen ac tegumentum,*

H

omnis-

omnisque coma in viris præcise hic ab Apostolo damnatur simpliciter, atque absolute sit turpe illis. atque ignominiosum, videre me non posse fateor, qua ratione comatam barbam alere sit licitum ac decorum. Nihiloque magis, quomodo sine peccato manifesto tegumentum ac velamen gerant in capite hodie juvenesque senesque, atque in eo concionentur etiam pastores plurimi in ecclesiis reformatis, ut & omnes omnino concionatores Germani in Palatinatu, & alibi, etiam in cucullo suo omnes prædicatores in papatu, atque adeo etiam cum pileo & capite tecto Pastores ecclesiarum reformatarum in Galliis. Et cur, inquam insuper, magis licitum verbum Dei tecto capite audire, quam prædicare? Denique accedit hisce omnibus, quod sicuti olim, tempore etiam Apostolorum, tegumentum capitis signum fuit minoritatis ac subjectionis, apertura contra majoritatis ac superioritatis; nunc plane aliter sese habent hac nostra secula. Namque, ut notum, nunc capite aperto salutant atque alloquuntur minores ac subditi superiores; operto vero majores superioresque minores ac subditos: ut patet in Magistratibus & subditis, in parentibus & liberis, in præceptoribus & discipulis, in heris & servis. hæc ille. Interpretes Belgici, quorum versionem æquivalere judicio synodi Nationalis existimat Poimenander p. 334. præsertim in
iis,

CAPILLITII. 147

iis, in quibus unicam tantum declarationem afferunt, neque lectori liberum faciunt quam volunt eligere, ad verba v. 4. *dehonestat caput suum, Nempe, inquit, quia capitis detectio tum temporis symbolum erat potestatis & dominii, quemadmodum jam, contrario modo, ii qui in alios potestatem habent, capite sunt recto, qui autem iis sunt subditi, detecto. Verum in hisce omnibus, semper spectandus est usus variorum temporum ac regionum, & quid in iis honestum sit & adificationi inserviat. Eat nunc vir doctus, & mea me hic commenta venum exponere criminetur. profecto, si vera sunt quæ nobis hic suggestit Poimenander, sententia nostra approbata, vestra vero condemnata est auctoritate Nationalis synodi, & ejus quidem, quæ ad oecumenicæ majestatem proxime accessit. verum de his satis.*

CAPVT VI.

De verbo ἄμφω, sententia viri docti aliter quam dudum proposita, observatio nostra defensa. Ex opinione Poimenandri sequitur, capillis à Paulo omnem longitudinem denegari. varie interpolata explicatio viri docti. Apostolus tantum agit de capillo

H 2

qui

qui pro velamento esse possit. In re exigua potest esse discrimen honesti ac turpis. Truncata mea verba à viro docto, & à vero suo sensu detorta. Dictum Beza, de coma quam ferrum non attingat, limitatum. Poimenander vel minimam amputationem capilli muliebris damnat. Idem à termino ortus capillorum, ad terminum precisionis eorum perperam argumentatur. verba ejus restrictionem nullam admittunt. Dissensus viri docti & Borstii à Poimenandro, in termino longitudinis capillorum. Dissensus viri docti ab illorum utroque, in quaestione de capillis curiosius cultis, Argumentum quod ex sententia viri docti adversus Poimenandrum intulit, ab eo tacite approbatur, & Poimenander deseritur.

Absolute tractatione vocis NATVRÆ progressus sum Disp. 4. ad considerationem vocis $\alpha\theta\mu\acute{\alpha}\nu$. Et illam ergo ad partes vocat vir doctus Quæst. text. i. partis 3. continuatione altera. sequamur ejus ductum.

Thesis ejus prima (quæ post reliquas est xv atque ita notatur) nihil habet quod me tangat, sed Auctorem Epistolæ ac Dialogi. veruntamen quia repetit in ea post varias sen-

sententias, suam quoque, hoc monitum velim lectorem, eam non repeti ab eo ita ut proposita fuerat, sed addito glossmate. Etenim Disp. text. 2. Thes. 2. explicationum quas recenset hæc est tertia:

Quod τὸ ἡμεῶν Apostolo idem sit quod nutrire comam aut comatum esse, sive semper à tonsura absteineatur, sive aliquando tonsura aliqua admittatur. De hac sententiam suam dicturus thes. 9. Sequitur, inquit, nunc tertium, cujus cum de voce ἡμεῶν agere cœpimus mentio facta fuit, videlicet, num τὸ ἡμεῶν idem sit quod comam nutrire, aut comatum esse, sive nulla, sive aliqua aliquando tonsura admittatur. & pro solutione ait: omnino dicendum est, eam notare, comam nutrire, aut comatum esse, sive nulla, sive aliqua tonsura aliquando admittatur. Videt lector tribus hisce locis, non eundem modo sensum repetitum, sed eadem fere verba annumerata. videamus jam quomodo & hic repetat. Tria, inquit, circa vocem illam, ut patet ex Disp. text. 2. Thes. 2. à me quesita fuere. (& post duas priores sententias) 3. inquit: Vtrum τὸ ἡμεῶν apud Apostolum significet idem quod comam nutrire & comatum esse, id est capillos notabiliter gestare prolixos (hoc enim significat in communi usu loquendi τὸ nutrire, alere capillos, & comatum esse) sive semper à tonsura absteineatur, sive aliquando ton-

H;

do ton-

do tonsura aliqua admittatur. (& in fine Theseos) *Tertium ego affirmavi.* Ubi glossema illud, *id est capillos notabiliter gestare prolixos*, una cum ratione parenthesi comprehensa, est assutum. Non quæro hic quam vere ad communem hic usum loquendi provocet, neque quam solide illum pro argumento adducat, neque an hoc interpretamento sententiam suam vel illustrarit, vel emendarit, tantum moneo, non fuisse ea quæ interjecit, in illa quam citat disputatione vel *quesita*, vel *affirmata*, ut videri vult, sed nunc demum excogitata, unde non est mirum si eorum in hac disceptatione ratio à me non potuerit haberi.

Thesi xvi. repetit ea quæ dixi thesi mea secunda, ubi verbum *κομᾶν* varie accipi observo, primo ratione *quantitatis* comæ. quosdam enim id accipere pro, *Comam prolixam mulierum instar nutrire, quam videlicet ferrum non attingat*; alios, pro *Comam nutrire, aut comatum esse, sive coma nunquam tondeatur, sive aliquando tonsura admittatur.* Agnoscit hanc sententiam pro sua vir doctus; sed *Observari*, inquit, *velim, i. me non quæsiuisse, utrum proprie vox κομᾶν id de quo queritur significet, sed affirmasse, eam communiter ita apud Græcos usurpari, Disp. text. p. 1.* (scribe p. 2. atque ita etiam corrige in fronte ipsius disputationis)

tionis) *thes. 2. atque hanc significationem APVD APOSTOLVM OBTINERE.*

Quod qua de causa vir doctus observari velit, conijcere non possum, ut ut est, me non tangit, qui quod à se amolitur, ipsi non attribui. Sufficit mihi hoc ultimum, nempe *hanc significationem*, ipsius iudicio APUD APOSTOLUM OBTINERE. addit: 2. (observari velim) *me phrases (ut paulo ante etiam indicavi) comam nutrire, & comatum esse, sumsisse sensu qui in communi usu loquendi obtinet; id est, pro notabiliter esse prolixo capillitio.* Resp. Virum doctum cum Disput. textuales scriberet ita phrases illas sumsisse, ex iisdem non potest intelligi. nam longe aliud est, τὸ κομᾶν communiter apud grecos sumi pro Comam nutrire, aut comatum esse (quod unicum ibi comparet) aliud vero τὸ Comam nutrire &c. in communi usu loquendi (apud latinos) significare, NOTABILITER PROLIXO esse capillitio, quod hic dicit. hæc enim & subjectis & prædicatis differunt. sed de his ad thesin præcedentem satis.

Thefi 3. addidi quid mihi videatur. & 1. quidem, Verbum κομᾶν natura sua nihil aliud significare, quam *comam habere vel gerere.* Hoc vir doctus *negat se tangere, quia id non meminerit à se negatum.* Resp. nec ego dixi hoc tangere virum doctum, sed tantum symbolam meam ad explica-

tionem hujus verbi in medio posui. deinde dicit, *rationem dubitandi esse posse num id proprie notet.* Resp. Et ego rationem me habuisse arbitror cur ita censerem. si enim κῆμαι nihil aliud sunt quam αἱ τρίχες τῆ κεφαλῆς καὶ χεῖρον, ut ex Hesychio citat vir doctus Disp. text. p. 2. th. 2. non potui mihi imaginari κομᾶν in primigenia significatione aliud esse quam τριχιάων, & quidem ἐν τῷ τῆ χεῖρω. non tantum in scapulis, aut tergo, ut vir doctus vult. unde τριχιάσις morbus, per similitudinem denominatur à capillis *in calva* discurrentibus. Quando vir doctus rationem dubitandi quam super hac re *esse posse* ait, exposuerit, ejus quoque ratio habebitur. quod de Dialogista addit, me non tangit, qui non quid illi, sed quid mihi videretur exposui.

2. Dixi, *celebriorem vocis significationem esse, & usu communiorem, ut notet, comam longam alere. id ipsum* vir doctus ait *se quoque affirmasse.* Resp. nec ego id contra cum attuli, imo ipsum pro hac sententia, citavi. itaque non est quod hisce immoremur.

3. Dixi, *Interim non censendum, vel comam simpliciter hic vetitam esse, vel etiam simpliciter longam.* & utriusque rationes attuli. Negat vir doctus quenquam hæc dixisse, nisi lusus sit in verbis &c. Resp. Ad primum

primum quod attinet, id nemini impegi, sed primam significationem stricte & in rigore sumtam huc pertinere posse negavi, ut ita clarius & distinctius ad eam quæ mihi maxime allubescit, quamque pro vera habeo, pervenirem. Secundum non est quod tanto cum stomacho rejiciat vir doctus. cum ait: *quis ita fatuus sit, ut corpori longitudinem neget?* vellem sane participius; nam è Poimenandri sententia (licet ipse id non animadverterit) necessario hoc sequitur, si enim anguli temporum sint terminus ultra quem capillos progredi nefas sit, sequitur extremis eorum angulorum capillis omnem longitudinem denegari, quantulacunque enim ea sit, profecto terminum illum migrabit. hoc æque clarum est, ac bis duo esse quatuor. Absit tamen, ut sicui per imprudentiam tale quid exciderit, pro *fatuus* eum traducam. neque sane tam parum novi egregia in ecclesiam Dei merita insignis illius viri, ut putem eum talia audire oportere, neque tam secutus sum meæ salutis, ut oblivioni tradiderim dictum Christi, *qui dixerit fratri suo fatue* (horret animus reliqua addere.) Si aliter videtur viro docto, ipse viderit, non eum judico, Domino suo stat & cadit.

Audiat interim tria verba auctoris licet à pietate Christiana alieni, doctrinæ tamen Christi hac in parte apprime consentanea.

Galenum dico, qui lib. viii. de placit. Hippocr. & Plat. c. ult. *Sicut, inquit, succensendum non est, si quis defendit opiniones suas esse veras, ita concedere debemus, ut alii nobis contradicant. At procacis hominis est & petulantis carpere mordaciter atque irridere quasi STULTVM aliquid quod venerit dogmatice in controversiam.*

Postquam submovi à significatione vocis *κομῶν* ea quæ submovenda videbantur, sententiam meam adjeci, vestigia viri docti hæctenus me sequi professus, quod ait, *ex circumstantiis colligendum, qualis coma, qualisve longitudo hic intelligatur.* Circumstantiæ autem docent, agere Paulum de comâ quæ capiti pro velamento esse possit, ut muliebris est. quid ad hæc vir doctus? 1. pro se loquitur, deinde adversus meam sententiam. pro se ait, *Dixi ego το κομῶν significare comam nutrire, comatum esse, sive omnino à tonsura abstinetur, sive aliqua aliquando admittatur: & porro ex circumstantiis textus in quo occurrit vox illa colligendum, an notet comam intonsam servare, an prolixam (id est notabiliter longam) nutrire. fallaciam ergo struere videtur vir doctus, quæ dicitur à dicto secundum quid ad dictum simpliciter.* Resp. Hæc omnia totidem penè verbis thesi mea secunda reperies, excepta parenthesis, quæ sum cum scriberem nondum nata erat.

quod

quod ergo *simpliciter* dixerat auctor, simpliciter retuli, *et notabiliter*, in quo ejus *secundum* quid est situm, legere non poteram ubi non extabat. id quod abunde a structa fallacia me absolvit. cui culpæ magis affinem esse apparebit virum doctum, si rationem proponendæ sententiæ ipsius penitus quis inspexerit quomodo enim non infidiosum videbitur, primo in ponendo statu controversiæ, uti verbis generalissimis *comam nutriendi sive alendi*, in progressu addere *prolixam*, post sesquiannum *notabiliter prolixam*, & denique eam *notabilitatem* (turbato interim ordine, nam id egit sex menses antea) in eo tantum ponere, ut *humeris involitet, vel tergum flagellet*, imo nec in eo quidem acquiescere, sed adjicere *et citra necessitatem?* quid? hæccine omnia continentur apud Paulum unica voce *χομαῖν*; & hæc omnes restrictiones complectitur *et nutrire, alere capillos, et comatum esse*, quibus solis verbis in ponendo ac resolvendo controversiæ statu ulus est? profecto mercem minime vendibilem esse oportet quæ tot modis interpolata, tam diversis temporibus in forum venit.

Ad meam sententiam accedens vir doctus, *Non nego*, inquit, *Apostolum agere de capillo qui pro velamento esse possit. sed nego illum tantum de eo agere. Alioqui enim licitus eris omnis capillus viro, qui vel*

*minimum ab eo qui pro velamento esse possit, distabit, Sed quis credat Apostolum possuisse in re tantilla discrimen honesti, & ejus quod non nisi inhonestum esse potest, ut auctorem hunc supra Disp. 3. Thes. II. loquentem audivimus? Resp. 1. Non negat Apostolum agere de capillo qui pro velamento esse possit. bene habet. hoc volebam. sententia ergo mea ab ipso adversatio (in bonam partem hoc vocabulum accipi volo) habet testimonium veritatis. sed negat 2. Apostolum tantum de eo agere. Doccat ergo illum de alio quoque agere, idque demonstret ex circumstantiis. hanc enim ipse legem fixit, & ego observavi. 3. Argumentum quod adducit utraque præmissa claudicat: non enim è mea hypothesi sequitur viro licitum esse omnem capillum qui non possit esse pro velamento, quam sequatur Apostolum hoc loco de illo non agere. Neque absurdum est discrimen honesti ac turpis ubi de licito agitur poni in *re tantilla*. nam & *re tantilla*, .i. *exigua* erat in qua Adamus peccavit, & tamen discrimen honesti ac turpis in eo tunc erat positum. auctor sic ratiocinando imprudens incidit in pontificiorum peccatum veniale propter parvitatem rei. imo largius peccat, nam quia *res tantilla* est, ideo in ea peccatum esse negat. 4. Quod citat ex Disp. mea 3. thes. II. non video quæ cum
juvet.*

juvet. dixi *Illus* (videlicet *virus Corinthiis*, & quidem propter morem ibi receptum) non nisi *inhonestum* (.i. indecorum. ita enim vocem ἀπίστας me accipere novit vir doctus ex rota Disp. 5.) esse posse, si caput capillis *muliebrem in morem velatum* haberent. quid hinc pro discrimine honesti ac turpis, prout à viro docto accipitur, id est *liciti & illiciti*, potest concludi? fallit ergo vir doctus æquivoco, atque etiam, quod mihi modo attribuebat, à dicto secundum quid (nempe eò quod de Corinthiis dixi) ad dictum simpliciter, cum citat mea verba, quod *non nisi inhonestum esse potest*, truncata voce *ILLIS* quam bis in adducta thesi literis majusculis, ut ejus imprimis ratio haberetur, expressi, addita in super ratione cur ita egerim. sed de hoc etiam supra actum, nam plus vice simplici in hunc lapidem impegit.

Observavi in sequentibus, sub qua cautione explicatio Bezae (cum ait, *agi de coma muliebrem referente, quam ferrum non attingat*) mihi probetur, nempe si addatur, vel subintelligatur *τὸ ordinarie, & notabiliter*. rationem hujus cautionis addidi, quia *coma muliebris esse non desinit, licet eam ferrum quadantenus, puta ad digiti unius latitudinem nonnunquam resecando attingat. id ergo si & vir fecerit, capillum ejus nihilominus muliebri similem fore, sed*
dis-

discrimen majus requiri, nempe ut unicuique appareat, non demitti in viro capillum ad eam mensuram, ut sit aptus capiti velando muliebrem in modum &c. Puto nihil clarius à me dici potuisse. & me vestigia viri docti in hoc sequi fatebitur, quisquis verba ejus, citata mihi th. 2. (omissa vera ab ipso in ex agitatione hujusce meæ rationis) cum meis contulerit. Ipse tamen hic duo videtur reprehendere. primo *assumentum* quoddam (ut loquitur) meum, quod in sua ratiocinatione non compareat. 2. verbum *retorquendi*, quo usus sum, negat enim se contrarium ab eo quod concludo dixisse. Resp. 1. Assumentum quod caput, ni fallor, est, quod *muliebrem capillum, licet paucillulum demetatur, negavi muliebrem esse desinere.* At hæc profus erant necessaria, propter verba Bezzæ, qui *comam muliebrem, & comam quam ferrum non attingat*, pro eodem sumit. Docui, si hæc in rigore accipiantur, non posse consistere, cum coma muliebris maneat, etiam si eam ferrum aliquatenus attingat, ideo verba illa non aliter quam sub cautione quam adhibui, approbari posse. hic meus sensus fuit, satis, ut arbitror, perspicuus. Quod ad *retorquendi* verbum attinet, licet sine jactura abesse posset, nego tamen per hoc viro docto injuriam fieri. 1. Quia non dixi (ut ille repetit) *me in ipsum hoc retorquere,*

quere, sed *retorquere tantum*. 2. quia ju-
 re merito potest retorqueri in causam quam
 sibi defendendam sumsit, Poimenandri pu-
 a, is enim vel minimam præfectionem
 capillorum muliebrium damnat, & à Paulo
 sic damnatam asserit. ut notavimus Disp.
 6, th. 4. 10. cui proinde illud viri docti me-
 rito objicere possum: *Quis credat Aposto-
 lum in re tantilla discrimen dedecoris & de-
 coris posuisse? Quod addit, aliud esse, qua-
 rere num capillus virilis, qui per longa satis
 intervalla ad digiti latitudinem præsecatur,
 referat muliebrem nec ne, aliud vero quous-
 que sit præsecandus ne muliebrem referat;*
 dico me ad hoc ultimum quoque respon-
 disse iis verbis: *sed discrimen majus requi-
 tur, nempe &c.* v. finem. thesios nostræ
 tertiæ, nobis paulo ante repetitum. quem
 miror viri docti oculos effugere potuisse.

Thesi mea. IV. V. VI. VII. VIII. recen-
 seo mensuram comæ virilis prout à Poime-
 nandro, & prout à Borstio præscribitur.
 duas hasce sententias oppono, utpote quæ
 discrepent, ut *vay xgi &c.* rogo lectorem ut
 theses illas attente perlegat, & videbit quod
 dixi vero verius esse. quid ad hæc vir do-
 ctus? 1. repetit quæ dixerat ad Disp. I.
 thes. 2. de controversia principali & minus
 principali, item de benigniori interpreta-
 tione. ad quæ ibi responsum est. 2. duo
 absurda quæ ex argumento Poimenandri
 deducq,

deduco, impugnat. at quid si illa non attulisset? ideo Poimenander non scripsisset quod scripsit? aut vir doctus sententiam quam improbat, approbasset? videamus tamen quomodo in eo se gerat. Argumentum Poimenandi ita se habet: Deus capillorum terminum delineavit circa frontem, aures, occipitium, ergo illos transire non licet. respondeo, non sequi, si Deus terminum delineavit ex quo capilli *oriuntur*, nefas esse ut illi ulterius, *procurrant*. neque enim ab *ortus* termino argumentari licet ad terminum *progressus*. alioqui licebit dicere: Natura locum determinavit unde oriantur nervi, ergo ii se per totum corpus non debent diffundere, sed ibidem ubi oriuntur amputari. ratio hæc tam clara est, quam solem lucere cum sudum est. cavillatur tamen eam vir doctus, & aliter arguere Poimenandrum ait, nempe hoc modo: *Capillus à Deo in natura non est ordinatus, ut tegat frontem, genas, collum, & humeros, sed solummodo locum illum cui innascitur; ergo capillus ulterius procurrere non debet.* vide, inquit, Poimenandrum p. 190. Et sane agnosco illo loco hoc Poimenandri argumentum, sed addo eum multo clarius loqui quam eum loquentem facit vir doctus, nempe, *capillum ordinatum esse à natura, ad cranium regendum & calefaciendum, NON autem*
VLTE;

VLTERIUS. addo etiam, illum Antecedens sui argumenti p. seq, probare ex delineatis à Deo angulis circa frontem &c. ita ut manifeste procedat à termino ortus capillorum ad terminum progressus. qui dicit cum *aliter arguere*, nescio quid non tandem dicturus sit.

Dicit porro, simile quod proposui dissimile esse: *Nervi enim, inquit, dati sunt ut se per totum corpus diffundant, ut sensus motusque instrumenta sint.* Resp. 1. Nego hic dissimilitudinem esse in ea re in qua fit comparatio, nempe in definito tam nervorum quam capillorum ortu, unde si argumentum duci potest ad terminum progressus, idem utrobique valebit. at non valet respecta nervorum. erga nec piloram. cur respectu nervorum non valeat, rationem reddit vir doctus, atque ita minorem meam confirmat.

Alterum meum argumentum erat à capillis muliebribus, qui & ipsi ortus sui certum limitem habent, unde sequetur & illos abscindendos esse si procedet argumentum Poimenandri de virili. Et hoc negaturum Poimenandrum ait vir doctus, *quoniam dicit comas mulieribus pro velamine datas esse.* Resp. Et hoc argumentum meum confirmat. quod tale est: Si argumentum duci potest à definito capillorum ortu ad eorum progressum, idem valebit tam in mulieri-

mulieribus quam in viris. ratio est, quia in utrisque ortus capillorum definitus est. At non valet in mulieribus: ratio est apud Poimenandrum, quia eis coma pro velamine data est. Ergo nec in viris.

Superest ut considerem id quod vir doctus parenthesi includit. Cum enim capillos ULTERIVS quam in loco cui innascuntur PROCURRERE NON DEBERE ex Poimenandro attulisset, addidit de suo: *videlicet notabiliter & ordinarie, ut sententiam Beza auctor hic mitigat Disp. 4. de comathefi. 3.* Innuit ergo, qui sententiam Bezæ hoc modo mitigarim, æquum fuisse ut idem facerem in sententia Poimenandri. hoc jam investigemus. Et primo quidem notari velim, nihil mihi ad rem quam agebam opus fuisse ut Bezam nominarem, potui enim simpliciter sententiam ita limitaram ut meam proponere, & argumentis quibus tibi utor munire, quæ suo robore constant, etiam omissæ vel Bezæ vel alterius cujusquam mentione. Citavi tamen eum, quia hanc sententiam attigerat, licet imperfecte, quod in eo supplevi. 2. Idem ergo, inquit, in Poimenandro factum oportuit. quod nego. Bezæ enim sententiæ hanc limitationem ex æquo & bono adjicere nihil vetabat, quia is nihil usquam dixit quod ei adversaretur: At Poimenandri sententiæ si eam adjicias, evertuntur omnia

omnia ejus fundamenta, quorum precipua sunt, *jus natura, & termini ab ipso Deo velut circino ac norma descripti, quos transire non liceat, si quis fecerit, eum contumelia afficere & irridere Creatorem &c.* quid? an hisce adjicere licet *notabiliter & ordinarie?* licetne ergo jus naturæ violare, terminos à Deo positos transire, Deum contumelia afficere & irridere, modo id non fiat *notabiliter & ordinarie?* Quis Poimenandro (singamus eum hoc malagmate uti velle) potestatem fecit jus naturæ relaxandi? terminos ab ipso Deo positos vel latum unguem refigendi? Verum age, sumus ita sinistre liberales de alieno (quod tamen absit) ut totum illud Poimenandro largiamur, an per hoc res in vado erit? an idem sentire judicabitur Borstius (quem vir doctus ægre fert à me cum Poimenandro committi) aut etiam ipse vir doctus cum Poimenandro? minime gentium. nam illi *notabiliter* ita ampliant, ut patiantur capillos infra aures descendere, & cervicem tegere, scapulas tantum & tergum excludunt, at Poimenander excludit ipsas aures. expressa ejus verba sunt, *AD SUMMUM non licere longius descendere comam quam usque ad aures, juxta canonem concilii cujusdam, ATTONSO CAPITE, PATENTIBUS AURIBUS.* Si sententias ita è diametro contrarias in unam conflare possit

possit vir doctus,

— non est quod multa loquamur,
*Nil intra est oleam, nil extra est in nuce
 duri.*

Thesi IX & X consideravi significatio-
 nem τῆ κομᾶν quoad qualitatem, *An vi-
 delicet κομᾶν significet capillos curiosius cul-
 tos, ἔ κομᾶν more muliebri ornare, ἔ co-
 mere, ἔ in cincinnos calamistris flectere, ἔ
 vittis subnectere. an vero coma tam de ca-
 pillis negligenter habitis, quam curiosius cul-
 tus dicatur.* hoc ultimum, quod præfert vir
 doctus, dixi me verum arbitrari, maxime
 ex scopo Apostoli, & diligentiam viri docti
 in eo quoque considerando laudavi, &c.
 Hic sibi lauream partam esse arbitratur vir
 doctus, dicit enim *me auctorem epistolæ de
 Coma ἔ Dialogistam in arido destituere,
 ἔ in suas partes concedere.* Resp. 1. quasi
 ego vel hunc vel illum defendendum sus-
 ceperim, ut ille Poimenandrum & Bor-
 stium, quos revera hic in arido destituit,
 nam idem sentiunt quod auctor Epistolæ
 & dialogi. 2. quasi ego unquam diversa-
 rum fuerim partium, hac quidem in re, &
 à viro docto ab iis depulsus, quod nun-
 quam factum. 3. Multo verior mea hic
 victoria est, ex eo quod totam meam the-
 sin XI. silentio vir doctus transmittat, in
 ea autem quid ex hac ejus (& mea quo-
 que) sententia sequatur ostendo, videlicet,
quicquid

quicquid ex s. literis vel aliunde adversus nimiam culturam capillorum, ornatum eorum ex gemmis & unionibus, crispationem, tinturam &c. hic colligitur, ab hac controversia prorsus amovendum esse. quum de iis non agat apostolus, eaque omnia à coma abesse possint, & in quam plurimis absint. Atque ita magna me iterum mole rerum ad presens negotium inutilium disputationem hanc exonerasse. Tacet ad hæc vir doctus, atque ita Poimenandrum (ut alios mittam) qui tractatum suum pene totum hisce rebus implevit, denuo in arido destituit, & IN MEAS PARTES CONCEDIT.

CAPVT VII.

De voce ànpias. Non semper ea ad significat peccatum. Decoro recte opponitur à viro docto. perperam ad actionem (ut loquitur) peccaminosam ab eodem coarctatur. Nulla necessitas excusat neglectum legis divina. Honestas versatur etiam circa res indifferentes. quibus necessario à viro docto annumeratur capillitii usus. ex sola voce ànpias ànpias idem concludere non audeat. Res mediæ ratione circumstantiarum vel bonæ vel malæ censentur. De incommodo & illicito. de capitis apertione in catibus

catibus ecclesiasticis . de præceptis & consiliis. quid *ὑπόμνη* I. Cor. VII. XXV. An pinna, cornua &c. honestari possint. An peccet contra honestatem qui unus inter capillatos tonsus incedit? præceptum proprie vel improprie dictum. Ius divinum & humanum . eorum confusione extinguitur libertas Christiana. De *ἀντιμῖα* sententia Borstii probata. de contemptu & detrimento. Aliud abjectio dignitatis, aliud neglectus eius symboli. Distinctiones in contrarium à viro docto excogitata, de oratione dialectica & rhetorica, abiectione formali & interpretativa, signo naturali & arbitrario, per se & per accidens, sine operis & operantis, rejecta. Caput integumento liberum apud Corinthios signum imperii. rationum oppositarum solutio.

Disputatione mea quinta de voce *ἀντιμῖα* egi. Contra quæ differere incipit vir doctus, Disput. quam adhuc in manibus habemus thes. XIX. & primo summa capita eorum quæ à me dicta sunt, recenset. in quibus hoc tantum moneo, distinctionem quam adduxi thes. I. non satis plene ab eo repetitam, quasi dixerim, *vocem eam significare vel peccatum tantum, vel tantum ἀντιμῖα* sine peccato.

to. cum non significandi, sed adsignificandi vocabulo ibi ἐμφατικῶς usus sim. hoc sensu: quod vocabulum ἀπείας generaliter significet ἀχρηστούντων, interdum quidem talem quæ peccatum adjunctum habeat, ut Rom. 1. 26. interdum talem quæ peccato vacet ut. 1. Cor. 12. 23. Dicit vir doctus se *Disp. text. p. 2. thesi 10. varias vocis ἀπείας significaciones retulisse, ex quibus facile patere possit, nihil novi me proferre.* Resp. nova me allaturum non sum pollicitus, neque quam hoc in theologia laudem mereatur videre possum. Fateor virum doctum loco citato varias vocis ἀπείας significaciones attulisse, sed licuit mihi, opinor, meis, non illius verbis sententiam meam proponere, cum id & brevius, & clarius, & ex sola scriptura mihi facere posse videret. Interim cū nihil novi in hac distinctione mea deprehendit, fatetur eam cum iis quæ ipse attulit convenire, atque ideo se eam pro vera habere.

Majoris momenti est, quod addit; Dixeram, *videri* virum doctum vocem ἀπείας accipere in secunda significacione, cum ait positam esse ἀπείαν pro eo quod indecorum est, atque dedecus accersere aptum natum. Negat me mentem suam affecutum esse. *Sentio enim, inquit, ego, ἀπείαν de qua hic agit apostolus explicite aut implicite significare actionem peccaminosam.* Adeatur

tur locus ab auctore hoc indicatus. Resp. Lo-
 ,, ci illius tota œconomia hæc est: de voce
 ,, ἀπίαιας judicandum ex opposita voce π-
 ,, μῆς. eam proprie & improprie sumi, pro-
 ,, prie pro honore, ut Arist. Rhet. i. Im-
 ,, proprie, vel pro iis bonis quæ Arist. vo-
 ,, cat ἐπαυτερά, Plato ἀμείνοια, .i. (ad men-
 ,, tem viri docti) *in se bona*, vel pro talibus
 ,, quibus vel bene vel male uti possumus.
 ,, Sicut ergo πμῆ proprie vel improprie su-
 ,, mitur, sic etiam ἀπίαια. proprie enim
 ,, significat *ignominiam, dedecus, infamiam.*
 ,, improprie opponitur vel τοῖς ἐπαυτετοῖς,
 ,, (.i. per se bonis) vel illis quibus bene vel
 ,, male uti possumus (.i. indifferentibus in
 ,, sese, & ex usu tantum vel abusu bonis vel
 ,, malis.) Non disputo quam apposite
 Platonem vel Aristotelem citaverit, sed
 sensum viri docti fideliter me expressisse
 reor, si, quis dubitet, adeat ipsius tex-
 tum, & cum hisce meis conferat. jam vi-
 deamus sententiam viri docti, ipsius ver-
 bis: *Hisce, inquit, ita explicatis videndum*
restat, quomodo vox hac loco quem expli-
camus accipienda sit. Arbitror itaque
vocem hanc improprie & metonymice esse
sumendam, positamque ἀπίαια pro eo quod
INDECORVM est, atque DEDECVS
accersere aptum natum est. Quis ex hisce
verbis potest colligere, per ἀπίαια eum
intelligere actionem (ut ipse loquitur)
 pecca-

quia Apostolus eo velut |medio termino
utitur &c. nullius momenti est. neque
enim in dehortando semper medium ter-
minam petimus ab eo quod (ut auctor lo-
quitur) *peccaminosum*, sed & ab eo quod
detrimentosum est. atque hic id ipsum fieri
suo loco demonstrabitur.

Thesi 2. quid ex sententia viri docti con-
cludat auctor dialogi, commemoro. 3. quid
ei reponat vir doctus. 4. usque ad undeci-
mam, quid nobis videatur. Ad primum
thesi sua XIX. reliqua tota, nihil aliud re-
prehendit, quam quod non omnia quæ de
hac re dixit Dialogista, quem vocat, refe-
ram, atque etiam *cenfuram* in ea strin-
gam, cum *aliis*, ut ait, *non parciam*. Resp.
1. Quod ergo ad rem ipsam attinet, bene
habet hæc thesis. nihil quippe falsi in ea
invenit vir doctus. conclusionem quam
auctor Dialogi nexuit, recte & ex vero pro-
posui. hoc mihi sufficit, hoc enim uni-
cum volui. 2. pro censore librorum me
non gero, neque potest mihi vir doctus id
muneris imponere, tantum rerum ipsarum
pondera confector, ut veritatem, prout
captus est meus, Deo opitulante, eruam.
3. quod me aliis non parcere ait, nollem
dictum. nihil enim affero (sciens quidem)
quod non ad eum quem dixi scopum confe-
rat. nucleum quæro, relinquo putamina, ro-
sam ubicunque locorum crescat decerpo,
spinas

spinas omitto. ubi enim ego exagitavi odiosas illas comparationes, quibus qui non tondentur ad quorundam placitum conferuntur leonibus, ursis, satyris, latronibus, ipsi diabolo? atqui hæc in libris excusis utramque paginam faciunt, nonnulla autem quæ in pulpitis sonant, etiam atrociora sunt. verum de hisce satis, neque afferuntur ut quenquam culpem, sed ut memet excusem.

Thesi III. Quid respondeat ad consequentiam Dialogistæ vir doctus, ejusdem verbis recensui. Non dicit vir doctus me perperam suam responsionem proposuisse, itaque thesis hæc salva est. nihil enim in ea aliud agitur. nec erat quod eam hic conaretur defendere, quod in sequentibus commodius fiet. hic enim tantum status controversiæ ponitur. duo tamen hic maxime consideranda. primo quod ad verba illa sua, *non posse quempiam honestatem communem insuper habere, qui tamen contra legem Dei non peccet, sed insuper habere explicet, per, nulla urgente necessitate negligere.* qua restrictione admittitur, *licere honestatem communem negligere, urgente aliqua necessitate.* cumque honestatem hanc eis quæ legis sunt alliget, sequetur legem Dei, (& quidem naturæ & morum, de illa enim agitur) urgente necessitate posse negligi. quo nihil periculoso-

sus dici potest. Alterum est, quod in iis quæ citat ex Danæo *honestas* etiam locum habere dicitur IN REBUS MEDIIS & quas INDIFFERENTES vocant. *velut, in communi vestitu, victu, &c.* Hyperius eandem ponit etiam in locis *sacris*, item *gestibus, & omni corporis habitu &c.* quæ cum applicat vir doctus ad sententiam suam de coma, manifesto in nostras partes transit. Si enim *honestas* etiam locum habet in rebus *mediis & indifferentibus*, non ergo solum versatur circa illa quæ sunt *legis, & quidem naturalis.* Si vestes, si gestus, si rotius corporis habitum (licet in eis reperiatur *honestas*) tamen res medias & indifferentes esse concedat, idem quoque necesse est concedat in coma. videlicet formam ejus (ut vestium &c.) esse rem mediam & indifferentem, licet in ea (ut & in illis) *luxus, pompa, lascivia &c.* quæ sola auctores illi abominantur, esse possit. Non est ergo hic (quod Poimenandro videbatur) *peccatum per se, contra naturam &c.* quale inter res *indifferentes* recenseri, aut *urgente aliqua necessitate* excusari posse nemo sanus dixerit, sed ex accidenti, .i. ratione circumstantiarum hic peccari potest, quæ constans nostra sententia est. v. conclus. Disp. nostra ult. Sed videamus sequentia.

Thesi xv. iudicium meum circa ea quæ
tum

tum ab auctore Dialogi, tum à viro docto
 allata sunt appono. his verbis: Recte con-
 cluditur ἀμαρτία, ex voce ἀτιμία non posse
 concludi ἀμαρτία, cum ea vox usurpetur
 ubi nulla peccati habetur ratio. ut patuit ex
 1. Cor. 12. 23. neque enim Deus συνέχευται τὸ
 ἥμαρτιον ex aliis membris peccato infectis, aliis
 vero peccato carentibus. ita enim Deus esset
 auctor peccati. Et Christus quoque eo argu-
 mento peccator esset, quia erat ἀτιμὸς ἐν τῇ
 παρτίδι αὐτοῦ Matth. 13. 57. Ioh. 4. 44. Quid
 ad hæc vir doctus? Negat id ad rem fa-
 cere. Neque enim, inquit, ego unquam
 dixi, ex sola voce ἀτιμία posse concludi ἀμαρ-
 τία. Nam quomodo hoc potuissem dicere,
 qui ipse docui vocem illam varias admittere
 significationes. v. Disp. text. p. 2. th. 10. sed
 ex serie & scopo textus Apostolici ostendi, ut
 cum auctore hoc loquamur, concludi ἀμαρ-
 τία. v. Disp. text. p. 4. thes. 6. Et Quest.
 text. 1. p. 1. Thes. 6. ἀτιμὸς δὲ ἡμῶν ergo sunt
 loca 1. Cor. 12. 23. Matth. 13. 57. Ioh. 4. 44. ut
 ex inspectione illorum liquebit. Resp. ut
 superiores duas theses prorsus inconcussas
 reliquit, ita & hanc. nam responsio hæc
 thesi meæ non est opposita. Negavi ex vo-
 ce ἀτιμία posse concludi ἀμαρτία. respon-
 det, ex SOLA illa voce sese eam non con-
 cluisse. id quod cum thesi mea optime
 confutere potest, in qua vox SOLA non
 compareret. 2. Non conclusisse eum peccatum

ex SOLA voce ἀτιμία duplicem sensum habere potest, vel, quod nunquam aliunde argumentum petivit (quod ad rem non facit, scimus enim eum & à voce *natura* argumentum petisse) vel quod in nullo argumento eam *solitariam* adhibuerit, quod falsum. nam dixit Paulum ea velut *medio termino* usum esse, idque in rem suam transferens, conclusit eum non significare rem indifferentem, sed *peccaminosam* ut loquitur. usus ergo & ipse ea est pro medio termino, & quidem solâ, si recte argumentari voluit, quia medius terminus in uno syllogismo tantum unus esse debet. 3. quod neget se hoc potuisse dicere, quia ipse docuerit vocem illam varias admittere significationes, perquam inane est. neque enim vox illa in loco Paulino de quo quæstio est, varias habet significationes, nisi plures scripturæ sensus literales cum pontificiis comminiscatur, ergo licet alibi alia significet, ex hoc particulari loco solitaria poterit adhiberi in argumentatione. alioqui nihil erit in rerum natura quod pro argumento tertio adhiberi possit, neque solum, neque cum aliis, quantumvis multa accumulaveris, quia nulla vox est quæ non varias significationes habeat. quod ergo loca à me citata ἀπεσδιόνοσα esse dicit, de eo, ut & de reliquis omnibus prudens lector iudicabit.

Thesis

Thesis mea quinta ita habet: Neque
 τὸ πρέπον, sive decorum cui in loco Paulino
 ἀτιμία opponitur, ut liquet v. 13. tantum-
 modo est in rebus per se bonis & lege praece-
 ptis, verum etiam indifferentibus. idem ergo
 verum est analogice in ἀτιμία ei opposita.
 Quid ad hæc vir doctus? 1. ait, quamvis
 totum quod dicitur verum esset, quid auctor
 hic lucraretur? videlicet non posse ex sola vo-
 ce ἀτιμίας concludi ἀμαρτίαν. At hoc nihil
 contra me facit, ut ex ante dictis liquet.
 Resp. Nos contrarium ostendimus, itaque
 non est quod huic rationi immoremur.
 2. ait: Concedo, τὸ πρέπον non tantum esse
 in rebus per se bonis, sed etiam indifferenti-
 bus, imo vero specialiter dici de indifferen-
 tibus, ubi habita ratione circumstantiarum
 moraliter conducentis sive honesti rationem
 induunt: sed nego res indifferentes ubi ratio
 decori moralis sive honesti ipsis accessit, se-
 cundum hoc amplius esse indifferentes. Resp.
 1. plus concedit quam petieram, adeoque
 totam meam thesin approbat. atque ita
 hæctenus in tota hac disputatione ὑπερικήσθη.
 nihil enim falsi in ea adhuc potuit depre-
 hendere. 2. Ea quæ adjicit sententiam no-
 stram exponunt, tantum abest ut infirment.
 nempe nullam rem ratione decori moralis
 sive honesti quæ ipsi accedit esse indifferen-
 tem, manere tamen in se indifferentem,
 etiam tum cum habita ratione circumstan-
 tiarum.

tiarum honesti rationem induit. Coma
 ergo, quocumque modo tondeatur, est res
 in se indifferens, sed possunt ejusmodi ac-
 cedere circumstantiæ, quæ eam *ex accidenti*
 vel honestent vel dehonestent. idque u-
 trinque posse accidere aiebat auctor dia-
 logi, *sive quis unus inter capillatos omnes*
detonsus incedat, sive inter detonsos capilla-
rus. ut citatum nobis thes. 2. & à viro do-
 cto minime impugnatum. sed quomodo
 hæc cohærent cum dogmate Poimenandri,
 de jure naturæ, civili, divino, peccato con-
 tra naturam &c. quæ profecto inter res de
 se indifferentes, & ratione tantum circum-
 stantiarû bonas aut malas numerari haud-
 quaquam debent. 3. ait: *Si opponitur ἡ*
ἀστυπία τῷ πᾶσι τοῖς de quo loquitur Apосто-
 lus v. 13. *jam evictum erit, naturam vetare*
Corinthios alere comam sub ratione pecca-
ti, vel illiciti: & non tantum sub ratione
incommodi: atque adeo male id ab auctore
hoc in dubium vocatum fuisse. Disp. 3. de
 coma Thef. 8. *Nam non puto virum doctum*
dicturum, licitum esse, τὸ πᾶσι sive natu-
 rale sive politicam, præsertim ubi nulla gra-
 vis necessitas urget, susque deque habere.
 Certe Apostolus id licitum esse negat. Quor-
 sum enim diceret Corinthiis: *Apud vos ip-*
sos judicate, num decorum est mulierem non
velatam Deum orare? nisi propositum ha-
beret ostendere, faminas apud eos aperto ca-
 pite

pute in coetibus ecclesiasticis comparere illicitum esse? Respon. 1. Ego hic nullam consequentiam video. nam incommodum ibi non opposui ei quod ex accidente potest illicitum reddi, sed quod ex sua natura tale est. V. g. Paulus dissuadet matrimonium sub ratione incommodi tantum, non etiam illiciti, quod omnes orthodoxi fatentur, an ideo matrimonium aliquod per accidens non poterat illicitum fieri? ut si quis in magna ecclesiarum afflictione, nulla cogente necessitate se uxore ac liberis gravaret, qui ecclesiae quoque oneri essent &c. verum quod hic illicitum est, non haret in ipso matrimonio (alioqui id dissolvendum foret) sed in adjuncta illa temeritate. ita quoque de coma judicandum est. 2. ejusdem commatis est quod de decoro sive naturali sive politico non sine gravi necessitate susque deque habendo adjicit, nam si crederet auctor omissionem hujusmodi decori per se peccatum esse, non loqueretur de eo *susque deque habendo*, quod *contemptum* sonat, atque ita aliquid *accessorium* quo illa ommissio illicita fit, neque addidisset illud, *sine gravi necessitate*, quo innuit, si talis necessitas adsit, licite tale decorum omitti. id quod de rebus quae sunt praeccepti divini moralis dici nullo modo potest. 3. Quod addit de feminis, quibus, ex dicto Apostolico *indecorum*, atque *illicitum* fac-

rit aperto capite in cœtibus ecclesiasticis comparere, ejusdem cum superioribus naturæ est. neque enim ex sese res illa erat illicita, sed ex circumstantia loci, ubi tegmen capitis erat symbolum subjectionis. quam egerate videretur mulier, quæ contrario modo, & quidem cum maximo scandalo in ecclesia ipsa, se gereret. nec dubito quin vir doctus ita sentiat. ecurr enim alioqui tam folicite inculcaret, *Paulum dicere CORINTHIIS, feminis APVD EOS aperto capite in cœtibus ecclesiasticis comparere illicitum esse*, si crederet id juris divini atque omnium GENTIUM esse?

Thesi VI. & VII. honestatem communem à jure divino distinguendam docui, tum argumentis è scriptura petitis, tum more loquendi ipsis legum conditoribus usitato, qui cum se *honestatis causa* aliquid prohibere dicunt, ea ipsa adjectione se de eo legem divinam non habere profitentur. vir doctus neutram thesin impugnat, septimam enim ne tangit quidem, sextam ex sententia theologorum nostrorum, quæ & mea est, exponit. Agunt enim auctores quos citat (atque ipse etiam vir doctus) de rebus *mediis, indifferentibus, licitis*, circa quæ si *ordinis, decori, adificationis, publicæ utilitatis causa*, non autem quasi in *ius sultus Dei positus* vel Magistratus, vel ecclesiæ aliquid *rite & legitime* statuerit, negant

gant licere eas temerè, *rebellandi animo, per summam levitatem, ex supina negligentia, protervia, contemptu*, violare. Ex altera vero parte peccare eas ecclesias ajunt, quæ *sinistro judicio particulares* circa res medias *constitutiones* quibusvis obtrudunt. Quæ si rectè dicta sunt (rectissime autem dicta agnosco) nihil est causæ quin adversus opiniones Poimenandrianas jungamus dextras, negotium capillare in se indifferens, ut revera est, relinquamus, levitatem tamen circa id, negligentiam, proterviam, Magistratus aut ecclesiæ (si rite, si legitime quid de eo statuerit) contentum insectemur. interim & in hac & in illo laudemus, quod *sinistro judicio particulares circa rem in se licitam constitutiones quibusvis non obtrudant*, licet ad id nimio quorundam fervore qui hic meros conscientiarum laqueos nectunt, per summam imprudentiam incitentur.

Thesi v i i i. monueram, non minus prudenter accipiendum, quod addit vir doctus de *præceptis & consiliis*. *præcipiuntur enim interdum, qua in specie tantum ad homines certi temporis aut loci spectant, licet ratio eorum communis ad omnes pertineat. e. g. Iubet Christus Apostolos alios aliorum pedes lavare. Io. 13. 14. & Apostolus Romanos c. 16. 16. se mutuo salutare osculo sancto. symbola mutui obsequii & fra-*

terna dilectionis in communi ad omnes pertinent, symbola autem illa, nempe osculum, & pedilavium non ad omnes, sed ad eos solum apud quos ea usitata sunt. Ad hæc vir doctus ait, nihil à se dictum fuisse, quod ejusmodi observationem posceret, nam, à me, inquit, nec dictum, nec ullo modo significatum fuit, materiam præcepti de honestate communi esse immutabilem, sed tantum sine peccato honestatem communem non posse insuper haberi, Resp. 1. nullum vir doctus in hac mea observatione errorem taxat, itaque salva est etiam tota hæc thesis. 2. agnoscit materiam præcepti de honestate esse mutabilem, .i. variare posse, tam secundum tempora quam secundum loca. hæc enim conjunxeram, nec vir doctus id improbavit, nec, ut opinor, improbaturus est. At, inquam, longitudo & brevitæ capillorum apud Paulum, sunt materia præcepti de honestate: possunt ergo temporibus & locis variare, nec sequitur, si Corinthiis, & illo quidem tempore, hoc vel illud circa illas honestum aut inhonestum fuit, idem ubique & semper obtinere. quod profecto dicendum esset, si in iis de lege naturæ & gentium, ac de tali peccato, quale sugillatur Rom. 1. 26. ageretur. Ita hoc suo verissimo axioma opinionem Poimenandri vir doctus evertit. 3. Cum negat se de ea re locutum esse, sed tantum de

honestate

honestate communi, quæ sine peccato non possit insuper haberi, manifesto profiteretur, se præcepti quidem de honestate communi circa capillos rationem semper haberi velle, sed materiam illius præcepti, .i. ipsam capillorum sive longitudinem sive brevitate liberam relinquere, prout hoc illove tempore aut loco mos communiter receptus est. ita enim honestatem communem definiverat auctor dialogi, cui in eo vir doctus assensus est thes. 20. *Auctori, inquit, dialogi de notione honestatis communis litem non moveo.* Quæ cum ita sint, quam aperte causam Poimenandri deserat, & re ipsa in nostras partes transeat attento lectori judicandum relinquo.

Theſi ix. dixi *Consilia* sive monita prudentiæ in scriptura extare circa res *per se indifferentes*. idque confirmavi exemplo Salomonis, qui dehortatur *ne fidejubeamus*, non quod hoc *in se* sit *illicitum*, sed quod *damnosum*, nisi cum magna circumspectione fiat. Hoc dicit vir doctus i. *εργασδιόντων* esse. Nam, inquit, inter me & dialogistam non disputabatur de *commodo & incommodo*, sed de *decoro & indecoro*, de *honesto & inhonesto*. Resp. Disputatur inter te & dialogistam de voce *ἀτιμίας*, eam tu dicis esse *ἀμαρτίαν*, vel implicite vel explicite, dialogista hoc negat, & *ἀτιμίας* etiam in transgressione decori esse ait, quæ
sine

sine peccato fieri potest. talem ἀτιμίαν *de-*
trimentum esse ostendo thes. x 1. vides er-
 go *indecorum & inhonestum* in hoc poste-
 riori genere recte referri ad *damnosum*. at-
 que adeo non quod ego hic attuli, sed quod
 tu reposuisti ἀπεγοδιόνουον esse. 2. *Consilia*,
 inquit, *Dei* (qualia sine dubio sunt de qui-
 bus hic auctor loquitur) *mandata sunt*, ut
 ait Iunius Animadv. in Bell. contro. 5. l. 2.
 c. 7. Resp. Consilia quæ in s. literis repe-
 riuntur circa *res per se indifferentes*, facere
 ut eæ res *in se sint illicitæ*, nec verum est,
 nec id Iunius nos voluit credere. nam di-
 ctum suum munit testimonio Apoc. 3. 18.
Consilium do tibi ut emas à me aurum igni
exploratum ut dives fias. hoc autem con-
 silium non est circa rem indifferentem, sed
 ad salutem prorsus necessariam. quod au-
 tem addit ex Platone, αἱ τῶν τυράννων δέησεις
 ἀναγκαίαι εἰσι, id recte consideratum pro me
 facit neque enim id eum sensum habet,
 quasi quicquid tyranni rogant vim præcep-
 ti habeat, ita ut ad id subditi lege astricti
 sint, sed *consultum esse* subditis ne eis teme-
 re tale quid negent, ne in præsens pericu-
 lum arque adeo *detrimentum* se præcipi-
 rent. exemplum est in Nabotho. 1. Reg. 21.
 quam apposite porro tyrannorum mores
 Deo & divinis actionibus applicentur,
 lectoris esto iudicium. 3. *Consilia sua* (in-
 quit) *& monita prudentia, qua tamen PO-*
 SITIS

SITIS PONENDIS & IN INDIVIDVO

non obligent, male probat auctor hic ex Prov.

6. 1. &c. Resp. Quam callide hic status quæ-

stionis invertitur! quæritur an monita sive

consilia circa RES INDIFFERENTES

faciant ut illæ res IN SE sint ILLICITÆ.

negavi hoc. at vir doctus fingit me dixisse

monitum aliquod POSITIS PONENDIS

& IN INDIVIDVO non obligare, quod

quid sit jam est exponendum. *ponenda* illa

quæ vir doctus nominat, sunt circumstan-

tiæ quæ rei *per se indifferenti* accidunt. V.

g. accidit sponsioni (ut ipse loquitur) *te-*

meritas, donorum Dei abjectio, accersita pau-

peries, precipitatio sui suorumque in lites &c.

IN INDIVIDVO notat personam hanc

vel illam quæ rem *per se indifferentem* facit,

quatenus eam per ejusmodi temeritatem

&c. *vitiöse* facit. Et hoc sensu dicunt phi-

losophi (ad quorum effatum hic respicit

vir doctus) nullam actionem esse indiffe-

rentem in individuo. verum i. nihil hæc ad

me faciunt, cui ne per somnium quidem

unquam in mentem venit dicere, actionem

ullam positis circumstantiis vitiosis, & re-

spectu talis individui indifferentem esse.

nam illis positis non solum actiones de se

indifferentes, verum etiam sua natura bo-

næ, per accidens malæ fiunt. Et ne fru-

stra disceptando otium perdamus, dixi, &

dico, comæ (de ea enim agitur) vel consu-

nam

ram strictiorem, vel incrementum paulo
 prolixius, licet in se sit indifferens, tamen
 si similes iis quas supra habuimus accedant
 circumstantiæ, V. g. lascivia, superbia, aut
 etiam superstitio, hypocrisis (nam utrim-
 que & utroque modo hic peccari potest)
 in tali individuo cui hæc insunt, non ampli-
 us indifferentem sed vitiosam esse. nec vi-
 deo quid aliud vir doctus dicat. verum hoc
 non dicit Poimenander. dicit comam in
 viris paulo prolixiorum esse contra legem
 naturæ, gentium, divinam, imo esse pec-
 catum contra naturam ex eorum genere
 quæ Paulus in gentibus abominatur Rom.
 1.26. quod si ita habet, non jam *positis po-
 nendis*, nec *in hoc vel illo individuo* ea vi-
 tiosa erit, *sed per se & respectu omnium*.
 Hæc vera, theologica, sana sunt, nec
 puto ullum theologum esse, ne ipsum qui-
 dem auctorem quicum mihi res est, qui ea
 negare possit. ut mirum sit cum in re sit
 consensus inter utrumque nostrum, & dis-
 sensus à Poimenandro, cum ut illum quo-
 vis modo defendat, cavillari & argutari
 non desinere. v.g. Dicit Salomon, *eripe te,
 subjice te, interpella, eripe te ut caprea*.
 quasi omnia verba quæ grammaticè sunt
 imperativi modi, imperium re ipsa conti-
 neant, ac non sæpe vel monita, vel etiam
 preces. item, quasi dicat Salomo, *eripe te à
 crimine quod spondendo perpetrasti, & non
 à dam-*

damno quod tibi imminet. item cum motum de non spondendo cum præcepto de homicidio confert, quasi homicidium utquam inter res de se indifferentes referatur, inter quas manifeste est sponsio. Item cum dehortationem semper idem esse cum præcepto negativo ait. quasi cum dehortaretur Elisa regem Israël, dicendo, *cave tibi ne transeas per locum illum; nam ibi Syri insidiantur*, 2. Reg. 6.9. cum dehortatus sit a scelere perpetrando, & non a periculo per imprudentiam adeundo. Quod addit: *Consule quoque Iulium, Cartwrightum & nescio quot alios, id certe consiliis arbitror esse, non præceptis.* neque enim leges disputationis me adigunt, ut ad nutum adversarii auctores evolvam: ipse, si videtur, ex illis, aut etiam aliis quæ pro se facere putat colliget, quæ quanti sint postea à nobis dispicietur.

Thesi x. illustrem locum Pauli 1. Cor. 7. adduxeram, ubi is agit de intermissione usus conjugii, viduitate, virginitate, quæ tamen omnes sunt res *indifferentes ac liberae*, nec proinde de iis quæ LEGIS sunt, .i. in *se licita vel illicita*, sed de *commodo vel incommodo* eorum ad quos scribebatur. Addideram, si ve ea vocemus *consilia*, ut vocem. *γνώμης* extressit vulgata, si ve alio apto nomine, nihil interesse (ut agnoscit Paræus) modo ne *consilia PERFECTIO-*
NIS

nis ex iis cudamus, quæ ex sententia dialogistæ non sequuntur. Quid ad hæc vir doctus? 1. *Apostolus*, inquit, *ut ipse ait differit de commodo, at inter Dialogistam & me controversia erat de decoro & indecoro, de honesto & inhonesto.* Resp. hoc subterfugium modo interceptum ei est ad rhesin IX. nec operæ pretium ut quæ ibi dicta sunt repetantur. hoc tantum addo, de ejusmodi *incommodo* ibi agere Apostolum, quod non solum consistat *ἐν τῇ ἐκείνου ἀνάγκῃ*, v. 26. *θλίψει*. v. 28. *μεσήμενοι*. v. 32. sed & *ἐν τῷ ἀχρημονεῖν*. v. 36. .i. *indecoro*, ut ipse Beza vertit. unde patet, non esse ista opponenda, quod vir doctus facit, sed subordinanda. recte autem me dixisse, Apostolum differere de *commodo* licet è precedentibus satis clarum sit, eo tamen etiam illustratur quod v. 28. ait: *ἐκὰ δὲ ὑμῶν φείδομαι*. & v. 35. *τὸ ἵνα πρὸς τὸ ὑμῶν συμφέρον λέγω*, 2. inquit: *Non probatur inde QVOD INTENDITVR. Tractat enim Apostolus eo loco de matrimonio usque ejusdem, de coelibatu, viduitate & virginitate, eaque in genere considerata INDIFFERENTIA esse docet, at minime talia esse dicit respectu hujus aut illius particularis persona cum circumstantiis suis considerata. Quin imo manifeste docet, iis qui donum continentia non habent matrimonium esse contrahendum v. 9. Neutiquam ergo*

ergo dicendum est, Apostolum docere, iis qua
 dicit, **OBLIGANDI VIM NON INES-**
SE RESPECTU PARTICVLARIVM
PERSONARVM cum circumstantiis suis consideratarum.
 Idque late probat auctoritate atque etiam
 rationibus Riveti, Davenantii, Paræi, cu-
 jus verbis adductis concludit: *An autem*
hoc sit è re auctoris quocum agimus, alii ju-
dicent. Resp. Nihil hic quod non è re
 mea sit reperio, imo aperte profiteor, me
 hac in parte cum clariss. illis viris, atque
 etiam cum viro docto sentire, & vehemen-
 ter mihi de hoc consensu gratulari. sed de
 duobus monendus est. i. injuriam mihi
 ab eo, per imprudentiam haud dubio, fieri,
 quod aliud à me **INTENDI** dicat, nempe
ea qua Apostolus dicit obligandi vim non
RESPECTU PARTICVLARIVM
PERSONARVM cum circumstantiis suis
consideratarum. ubi enim ista dixi? hoc
 unum inculcavi, non agere Apostolum de
 iis quæ **LEGIS SUNT**, id est **IN SE LI-**
CITA VEL ILLICITA. quæ explicatio
 me ab illo sensu quem mihi affingit vir do-
 ctus absolvit. aliud enim est, rem illicitum
 esse **IN SE**, aliud respectu hujus vel illius
 personæ, cum his vel illis circumstantiis,
 quæ ad rem ipsam per accidens se habent.
 Alterum de quo eum moneri opportunum
 arbitramur est, quod per hanc suam sen-
 tentiam

tentiam (quæ verissima est) Poimenandrum non defendat, sed mecum oppugnet. ita ut Deo & invictæ veritati gratias immortales debeam, quod cum qui adversarius videbatur mihi adiutorem dederit. quid enim? an Poimenander dicit comam virorum prolixiorum esse in genere INDIFFERENTEM, illicitam autem tantum respectu particularium personarum, cum his vel illis circumstantiis consideratarum? qui hoc potest, quum in ea statuat committi PECCATUM CONTRA NATURAM? estne peccatum contra naturam in genere INDIFFERENS? reliqua non addo, nam res ipsa clamat quantopere hoc sit falsum & *ἄσφηνον*. discrepat ergo immane quantum, sententia viri docti, quæ & mea est, ab opinione Poimenandri.

Vocem *consilii* qua usus eram me mitigare dicit (verba mea habes in superioribus) ipse autem nihil contra eam affert, imo *Παράο*, qui ea libere usus est, adjungit Davenantium, qui *vitam*, inquit, *ducere virginalem in genere* RES CONSILII est, non PRÆCEPTI. Repetit autem, vir doctus vocem *dehortationis* hic aptam non esse. sed nulla allata ratione. rem ipsam consideravimus ad thesin 9. interim ipse nullam aptiorem nobis suppeditat, detur ergo circa verba, quorum sæpe penuria laboramus, moderata libertas, modo

do in re ipsa non sit error.

Denique ait vir doctus, *me absolvere dialogistam à consilio perfectionis, & responderet i. Quid sentias dialogista de consiliis perfectionis non inquiri.* deinde argumentum quo usus fuit repetit. Resp. Non Dialogistam (quod insidiosè dicitur, ut alienis ab hac controversia quæstionibus involvar) sed ejus argumentum à me allatum à consilio perfectionis absolvi, & adhuc absolvo. Sequitur quidem ex ejus sententia, dari in s. literis *Consilia* (libere jam eam vocem usurpo, postquam vir doctus ejus usum in auctoribus à se ipso citatis ostendit) *circa res indifferentes, sed consilia perfectionis ex ea sequi nego & pernege.* quid alibi videatur sentire, si fas est viro docto **NON INQUIRERE**, & mihi id juris concedi æquum est, nominatim in hac controversia, à qua quicquid alienum est, ut novit vir doctus, satago remove, quo melius ejus nuda ossa lacertique appareant, & majori cum facilitate ac perspicuitate ea cognoscatur. In repetitione argumenti sui, nihil aliud probat, quam legis esse cum præcipitur ut honestatis communis ratio habeatur; at cum de materia in qua est illa honestas agitur, si ea est, ut sæpe numero est, **INDIFFERENS**, non habent dicta quæ circa illam versantur rationem præcepti sed consilii, vel moniti

niti prudentiæ. nec hoc *pontificium* vel *Socinianum* est, qua scabie contraria opinio magis laborat, si non deteriori. Nam si quicquid Apostolus differuit v. g. circa *cœlibatum* &c. vim præcepti habet, sequitur *illicitum esse mulierem tangere. omnes quales Paulus erat, i. cœlibes esse debere* &c. Denique nihil erit indifferens, & peribit omnis libertas Christiana. sed pulcre cavit huic rei Apostolus in illis: *Hoc autem dico ex concessione & χάρις ἐπιταγήν. non secundum præceptum. v. 6. De virginibus autem ἐπιταγήν præceptum Domini non habeo. γνώμην δὲ δίδωμι consilium autem do. v. 25. Hoc autem dico vestro commodo, non ut laqueum vobis injiciam. v. 35.* Hæc cum cura erant inculcanda in causa capillari, quam inter res indifferentes rectissime numeravit vir doctus. si enim cum eo sentit Poimenander, uno verbo tota res absolvi potest. Dicat tantum (exemplum Apostoli sequutus) **DE CAPILLIS PRÆCEPTUM DOMINO NON HABEO.** mihi & omnibus veritatis amantibus satisfecerit, sed eadem opera, quod omnino necessarium est, feni & paleæ *juris naturalis, gentium* &c. tanto molimine ab ipso accumulatae ac congestæ jacturam fecerit.

Antequam progrediar, expendenda non nihil venit versio Bezae, eam enim ex Paulo pro se citat vir doctus, Is ergo τὸ
γνώ-

γνώμην δίδωμι apud Apostolum, quod omnes qui fuerunt ante eum latini interpretes (quantum scio) verterant *consilium do* (ita Vulgata, ita Erasmus, ita Pagninus, ita Tigurini, quos & sequitur Castellio) aliter sibi vertendum putavit, nempe: *Sententiam meam* hac in re dico. ea ratione quia differant γνώμη & βελή. quod tamen 1. non est usquequaque verum, cum γνώμη interdum reddatur *propositum*, aliquando *voluntas*, interdum CONSILIUM, nonnunquam *cogitatio* &c. ut agnoscunt Lexicographi, Stephanus, Crispinus, Tusanus alii. Suidas: γνώμη ἢ βελή κἢ ἡ περὶ αἰρέσεως. Favorinus: γνώμη ἢ συνείδησις, ἢ σκέψις, ἢ βελή, ἢ περὶ αἰρέσεως, ἢ οἴσις. 2. hoc loco non nisi pro consilio potest accipi, propter additum δίδωμι. Suidas & Favorinus: γνωμοδοτέω, γνώμην δίδωμι. quod Æmylius Portus vertit: *consilium do*. Lexicon græcolatinum vetus in Thesauro utriusque linguæ B. Vulcanii: γνωμοδοτής, *Consiliarius, consiliator, suator*. probent, qui contra sentiunt è græco auctore τὸ γνώμην δίδωμι esse, *sententiam dico*. nam τὸ αὐτὸς ἔφα in solutum non accipimus. novi quid sit τὸ γνωμοθετεῖν & similia, sed ἀεὶ τῆ γνώμην δίδοναι est quæstio. 3. Nihil promovet Beza per vocem *sententia*, si rationem *precepti* ea contineri sentit, nam etiam in *consiliis dandis* versatur *sententia*. Cic. de Orat. l. 3.

1. 3. *Hujus est in dando consilio de maximis rebus explicata sententia.* 4. ut nec gallica phrasi qua illam explicat, videlicet, *i'en donne mon avis*, quam sequitur Diodatus in Bibliis Italicis, *ne do avise*, qua voce sæpius votum *deliberativum* ut vocant, quam *decisivum* significatur. Diodatus certe nullum in ea imperium potuit videre, cum in margine explanationis causa addit: *come di cosa indifferente, nella quale si dee considerar cio che e piu spediense, secondo le circostanze, .i. tanquam de re indifferenti, in qua considerandum est id quod magis expedit, secundum circumstantias.* 5. Ratio quæ Bezam impulit ad versionem hic novandam, nempe *ut evitaret discrimen illud sophisticum & falsum inter præceptum & consilium.* ut ipse ait, non tanti fuit quam ipse putavit. quasi vero nullum daretur consilium extra *consilium perfectionis* à sophistis in papatu confictum, quod si ita est, deleatur vox consilii ex omnibus auctoribus latinis, quorum plerique de papistis aut consilio perfectionis ne fando quidem cognoverant, & tamen quid inter consilium & præceptum interesset, quod vel investes pueri sciunt, non ignorarunt. possem addere, quod Occumenius *γνώμῳ* apud Paulum explicat *συμβουλῶ*, quæ idem est quod *βουλῆ*, aut etiam aliquid minus. unde apud Aristotelem in Rhetoricis, est genus orationis

orationis *συμβουλευτικόν*, quod *deliberati-
vum* latini vocant. sed progrediendum est.

Tandem vir doctus me reprehendit, quod *Dialogistam tum hic tum alibi tam sollicitè excusè, alios præter rationem toties carpat, eoquè à partium studio non videar fuisse omnino liber.* Adhæc quædam è Dialogistæ scriptis collecta mihi proponit ut de iis iudicium meum interponam. Resp. 1. me Dialogistam nusquam *excusasse*, sed ubicunque rectè mihi sentire videbatur eum *approbasse*, & egregia ejus inventa in usus meos sedulo convertisse, ubi minus rectè, libere *rejecisse*. 2. me neminem (scientem quidem) contra rationem carpisse, nec virum doctum hoc usquam demonstrasse. 3. abesse à me partium studium tota mearum Disputationum *οικονομία*, ut spero probabit, in quibus *χωρὶς ἀποσποληψίας* quæ vera iudicabam ubicunque ea reperirem selegi, quæ falsa repudiavi. novit hoc vir doctus, unde miror cur me eo carbone denigret. quid de ipso dici posset, quem apparet passim existimationi amici in causa quam revera improbat velificari, ipsum considerare malo, quam odiosius à me exagitari. 4. Quæstiones quas mihi è Dialogista proponit, transilire cogitabam, quia ego quæ eisdem continentur nec scripsi, nec citavi, nec eis approbationem meam præfixi, & citra ea rem

K

totam

totam intelligi posse existimavi, verum occurrit mihi quiddam inexpectatum, id quod propositum meum hac in parte sufflaminavit, videlicet, quod quærat vir doctus an hæc talia, quæ Dialogista in exemplum attulit, possint ita fieri ut CONTRA NATURAM non peccetur, idque ut certo consilio factum agnosceretur, eadem phrasis altera vice repetitur. Quod ergo unum è præcipuis est, quæ reprehendimus in Poimenandro, nempe eos qui comam nutriunt CONTRA NATURAM peccare, id conatur vir doctus obtinere in re paulo magis odiosa, ut postea vendibilior reddatur opinio Poimenandri in causa capillari. neque ipse tamen de eo suam sententiam dicit (id quod hæctenus sedulo evitavit) sed eam ex me se posse elicere sperat. sin taceam, causæ meæ etiam circa rem capillarem diffidere forte alicui videbor. Mos ergo potius geratur viro docto, & respondeamus. Quæstio est de pinnis, de cornibus, de auribus asininis, de cauda vulpina aut felina, an hæc gestari possint citra PECCATUM CONTRA NATURAM. Dico posse. Adde etiam *honeste posse*. Idem aliquem calamum à viro docto expecto, ut qui rem ipsi incredibilem protulerim. verum *κίταξον, ἀλλ' ἀκροσον*. Vidistine unquam, in insignibus nobilium, pinnas, cornua vel cervina vel alia summitati galææ imposita? nimirum

rum vidisti, & quotidie videre potes, sed quid hoc ad rem? audies postquam aliquid addidero. In patria mea (ea olim erat superior dioecesis Ultrajectina) familia est è maxime spectabilibus, quæ tria asinorum capita in scuto gestat, pileum autem cum auribus asini in cono galeæ. hæc nunc tantum videmus depicta, verum tempus fuit, cum ita ornati ad bellum procederent, atque etiam ad ludos equestres. nisi fecissent indigni suis majoribus judicati fuissent. Honestatæ ergo tum temporis, & in illo casu fuerunt pinna, cornua, aures asininæ, per receptum motem (quem regulam decori esse ipse fallus es) at **P E C C A T A** **CONTRA NATURAM** honestati nullo modo & per nullas circumstantias possunt. non ergo per hæc *contra naturam* peccatum est. De cauda vulpina (nam de felina nihil occurrit, sed eadem est ratio) quod mihi compertum est referam. Quum adolescens in Galliis essem, vidi famulos sutorum rubro, ut vocant, bireto tectos, quod ambibat cauda vulpina. id lege fiebat, ut è reliquis opificibus dignoscerentur. dicebatur rex statuisse, si supervixisset, omnes qui artes manuaras factitabant, simili quadam nota à se invicem discriminare, ad civium qui eorum opera uti velent commoditatem. vides & caudam vulpinam ibi *honestatam*, esse, nec si quis illam

gerat CONTRA NATURAM peccare. Eadem, imo major & evidentior ratio est in capillis, quicquid incassum obniteris. Quæ de confusione sexuum, è Dialogista (ut ait) adjicit, quia locum unde ea habeat non annotat, ea præteribo, neque enim libet in tenebris micare, aut disputare de jure antequam constet de facto.

Gratificatus sum viro docto in expendendis exemplis Dialogistæ, nunc meo jure vicissim petere videor, ut verbo significare velit, quid de alio ejusdem vel exemplo, vel axiomate sentiat, quod citavi thesi 2. videlicet, tam eum *contra decorum* (ac proinde communem honestatem) peccare, *qui unus inter capillatos omnes detonsus intedit, quam qui inter detonsos capillatus?* Nam si putet hoc falsum esse, litem auctori Dialogi moveat oportet de notione honestatis communis, quod tamen à se removet thesi 20. Sin verum esse fateatur, manifesto corrui opinio Poimenandri. Itaque hic ardet ab utroque extremo, ut mihi mirum non sit, virum doctum ab eo digitos tam sollicitè continuisse. Quod si quid ipse de hac quæstione sentiam flagitet, quamquam mihi primo responsum debet, tamen postquam liberalis esse coepi, dicam quod sentio. Puto ergo dictum illud verissimum esse. idque probo non tantum exemplo eorum quibus inusitata ipsis tonsura

sura displicuit in Hadriano Junio (nosti quid de eo publicaverit clariss. affinis tuus) forte enim eos fuisse dices homines indoctos & communis honestatis imperitos, quod quanti sit nunc non tango; sed viri docti, gravis, theologi & morum Censoris acerrimi, Erasmi videlicet Roterodami, is enim circa tempus quo homines contra communem morem strictim tondere incipiebant, id inter exempla extremæ levitatis & insolentiæ retulit. idque non uno loco. In Colloquio enim militis & Carthusiani, hæc Carthusianus fratri, è bello reduci, & omnibus flagitiis cooperto inter alia objicit: *At ego, inquit, te probe agnosco, cui non solum vestis mutata est, verum etiam facies, totusque corporis habitus. Quot coloribus pictus es! Nulla avis eque variat plumas suas. Tum, quam omnia secta, quam NIHIL IUXTA NATURAM aut MOREM COMMUNEM. Adde TONSUM VERTICEM, barbam semiramis, sylvam qua supra labrum superius est, perplexam, nec aliter hinc & hinc prominentem, quam solent in felibus pili longioris.* Vides opinor, tonsum verticem tum temporis iis quæ & contra communem morem, & NON IUXTA NATURAM essent, ab Erasmo annumeratum. nam quæ Cartusianus dicit, sententiam Erasmi continere, non dubitabit qui & dialogum,

& Epistolam de utilitate colloquiorum in calce ab auctore adjectam vel obiter inspexerit. idem in Franciscanis: *Siquis vellet furem aut homicidam, afficere extrema ignominia, nonne satis esset, si praeideret illi interulam supra nates, si partes pudendas turpiter prominentes lupinis pellibus convestiret, caligas diversis coloribus variegaret, vestem qua thoracem tegit ac brachia totam conscinderet, veluti rete faciens ex veste, scapulas & pectus nudaret, barbam partim demeteret novacula, partim demitteret, partim intorqueret, CAPILLOS TONDERET, adderet pileum undique sectum, cum ingenti fasciculo plumarum, ac sic juberet prodire in publicum? Nonne magis traduceret hominem, quam si morionis cucullam adderet cum AVRICVLIS PRÆLONGIS & tintinabulis? Et tamen sic ultro se ornant milites, ac sibi placent: & reperiunt quibus hoc pulchrum videatur, cum nihil possit esse insanius. In ejusdem Cyclope, cum Polyphemus, ut cultus insolentiam excusaret, dixisset: *Quemadmodum sepe numero sub tunica cinericea latet animus tyrannicus, ita nonnunquam ATTONSVM CAPVT, circumtorta barba, torva supercilia, truces oculi, vertex plumam vensilans, sagum militare, calige interfecta, tegunt euangelicum animum.* respondet Cannius: *Quidni? nonnunquam*
 & sub*

Et sub pelle lupina latet ovis, Et si qua fides apologis, sub exuvio leonis latet asinus. Observa eundem Cannium paulo ante dixisse, *siquis mihi ista specie ignotus occurreret, in mari, piratam esse crederem, si in nemora, sicarium.* hoc dicit de homine ATTONSO CAPITE, quod nunc totidem verbis dicitur de comato. Quid ais, vir docte? fatin' commode veritatem dicti à Dialogista allati in aperta luce posui? Iam concilia mihi hæc cum opinionibus Poimemandri, si potes, sed sine ambagibus, sine verborum περιπαλημωσι, nam res clarior est, quam ut eum ad modum obscurari se patiatur.

Thesi xi. ut pedem nonnihil promoveam, quæ demonstrata sunt tribus verbis repetivi, nempe ex ἀκριβίας voce non sequi ἀμαρτίαν, nec ex ejus opposito *decoro* sive *communi honestate*, præceptum proprie dictum. ad hoc vir doctus 1. lectorem ad ea quæ jam dicta sunt remittit, quæ non repetam. 2. *sibi incognitam* ait esse *distinctionem*, qua præcepta divina disjescuntur in præcepta proprie & improprie dicta. Resp. Non ita distinxi, sed id DE QUO APOSTOLUS PRÆCEPTUM DEI NON HABET, negavi esse posse præceptum proprie dictum, nominatim DIVINUM. est enim oppositum in appposito, præceptum divinum non habere, & tamen præceptum

ceptum divinum dare. quod adjunxi *proprie dictum*, id factum ne latebræ quærentur in voce præcepti, quam laxè interdum sumi non ignoro. apud Ciceronem *præcepta differendi, præcepta dicendi, præcepta & instituta Philosophia, præcepta medicorum* invenias. idem, *Tuis*, inquit, **MONITIS** *præceptisque omnis est abjiciendus dolor.* præcepta proprie dicta appello, ut à viro docto sumuntur, quæ vim legis habent. Addit: *Videtur autem auctor per illud suum præceptum non proprie dictum, significare, quod sentiat, Apostolum disputatione sua, qua agit de modo orandi & prophetandi 1. Cor. II. tantum consilium, sive monitum aliquod prudentiæ dare, quod tamen Corinthii sequi non tenerentur.* Resp. Imo, quod non sit de re *in se* necessariæ observationis, sed *indifferenti*. aliud est quærere, ad quid Corinthii tenerentur, illo loco, illo tempore, illis moribus: nam hoc pertinet ad *circumstantias*, quæ per accidens se habent ad materiam præcepti. Et tamen minorem eam fuisse obligationem etiam respectu Corinthiorum, quam fit ea quæ versatur circa præcepta, .i. legem Dei, ipse vir doctus non obscure docuit Thesi sua xx. ubi agnoscit *aliam obligationem esse circa res quæ IVRIS DIVINI sunt, aliam vero quæ nascitur aut ex consuetudine aut quacunque CONSTITUTIONE humana,*

*humana, sive politica, sive ECCLESIAS-
TICA circa res indifferentes.* Irascetur
vit doctus, quod constitutionem Apосто-
licam inter *humanas* retulerim. profecto
humana est, ubicunque Apostolus **PRAE-
CEPTUM DEI NON HABET**, illud
autem circa res indifferentes non habet,
quæ, fatente viro docto sunt **CONSILII,
NON PRÆCEPTI.** Constitutiones por-
ro de quibus Paulus ibi agit sunt ecclesiasti-
cæ, & loco, tempore, aliisque circumstan-
tiis mutabiles, ut antea ostensum. Oc-
currit mihi hic insignis locus S. Augustini
lib. i. de Sermone Domini in monte, ubi
rem quam in manibus habemus plenissi-
me exponit. *Si ergo (inquiens) non PRÆ-
CIPIT ex Domini persona, sed ex sua per-
sona MONET, ita est hoc bonum, ut si
quis aliter fecerit, non sit præcepti trans-
gressio: sicut de virginibus paulo post dicit,
PRÆCEPTUM Domini se non habere,
CONSILIVM autem dare: atque ita lau-
dat virginitatem, ut arripiat eam qui vo-
luerit, non tamen, ut si non fecerit, contra
præceptum Christi fecisse iudicetur. Aliud
enim est quod IVBETVR, aliud quod MO-
NETVR, aliud quod IGNOSCITVR.
IVBETVR mulier à viro non discedere:
quod si discesserit, manere innuptam, aut
viro reconciliari; aliter ergo non licet facere.
MONETVR autem vir fidelis, si habet uxo-*

rem infidelem consentientem secum habitare, non eam dimittere; licet ergo & dimittere, quia non est praeceptum Domini, sed consilium Apostoli. Sicut MONETVR virgo non nubere, sed si nupserit, CONSILIVM quidem non tenebit, sed contra PRAECEPTVM Domini non faciet. IGNOSCITVR cum dicitur: Hoc autem dico secundum veniam, non secundum IMPERIVM. Hæc Augustinus, è quibus, si exemeris primum exemplum ejus quod MONETVR (in quo proculdubio erravit) in reliquis non video quid merito sugillari possit.

Quærit porro vir doctus: An non sic januam aperiam luxandi praecepta divina? ego contra: An non vir doctus januam aperiat ad tollendam omnem libertatem Christianam? quomodo ego luxo praecepta divina, cum ago de iis quæ NON SVNT PRAECEPTI, ut ipse vir doctus loquitur? & de quibus Apostolus fatetur se PRAECEPTVM DEI NON HABERE? nec se de iis loqui ait *ἡγὲρ ἐπιταγῶν*, .i. per modum praecepti? talia autem sunt omnia indifferentia, ea enim Deus libera Christianis esse voluit, non ergo praecepto astringit, nec ad alteram partem determinavit. Addit: Si enim hoc admittatur, quod velle videtur, an non facile erit plurima ex praeceptis divinis in consilia & monita prudentia

dentia, & præcepta non proprie dicta, atque adeo non proprie obligantia convertere?
 Resp. Quid? an qui præcepta à monitis vel consiliis distinguit, facultatem dat hæc in illa mutandi, vel hæc cum illis confundendi? imo contrarium facit. Videat autem vir doctus an non, si ubicunque Apostolus loquitur, præceptum divinum esse putemus, etiam ubi se præceptum divinum habere negat, facile erit omnia quorum Deus indifferentem nobis ac liberum usum permisit, in res quæ sunt DIVINI JURIS atque adeo necessariæ observationis mutare. quo dato perit omnis Christiana libertas, & redit illud, *μη ἀνυψώθη, μη γέννηται, μη ὑψηλὸν ἴσται.* quod tantopere in Christianis displicet Apostolo Col. 2. 21.

Addit me mihi contradicere, quia dixerim prolixam comam *Corinthiis non nisi inhonestam* esse posse, unde concludit ea violari præceptum. Resp. Hoc è superioribus repetitum, & ibi solutum est, neque hic, ut recocta crambe, reponetur.

Postquam repetiveram quid *ἀνψία* non esset, inquirebam quid ergo sit? Ad quod percommode nobis facem alluceri à Borsio agnoscebam, qui *ἀνψία* esse ait id per quod homo despicitur, & quo dignitas & æstimatio ejus imminuitur, idque applicans rei de qua agitur, comam prolixam, cum sit subjectionis signum, & minoris dignita-

is, ideo virum non decere. Hanc explicationem probavi thesi. 12. sed observavi, per eam everti quod docetur de peccato per se. Vir doctus, dissimulato Borstii nomine, & prioribus tantum verbis repetitis, dicit se ea *non improbare, modo* (inquit) *id notet turpitudinem moralem, aut saltem eam implicet.* Resp. si *morale* vocat, quicquid quoquo modo ad *mores* sive *consuetudines* spectat, turpitudinem moralem hic implicari facile concedemus, oritur enim ex neglectu consuetudinis receptæ, verum si per turpitudinem moralem peccatum intelligit, principium petit, hoc enim est in questione.

Thesi xii. ad explicationem Borstianam hæc observo: 1. *Posse se hominem despicabilem facere etiam per id quod in se peccatum non est. ut si edat in publico, aut sine pallio in foro ambulet.* Hoc ἀπεργαδιόντων esse dicit vir doctus, quia loquatur Apostolus de tali re quæ moraliter turpis est. &c. 2. aperiendum mihi ait, an de potentia *physica* an *ethica* loquar, item quid mihi velim phrasi *in Se.* Resp. de moraliter turpi jam responsum est. potentiam nec *physicam* nec *ethicam*, sed *logicam* intelligo, .i. *possibilitatem.* peccatum *in se* est, quod tale est citra circumstantias suas consideratum. nam quod ratione circumstantiarum duntaxat peccatum

tum est, est peccatum *per accidens*, per se autem vel *bonum*, vel saltem *indifferens* esse potest. quis hæc ignorat? Aperiendum erat auctori (ut ejus formulis utar) quid sibi velit per hæc quæstiones. 2. Addidi: *Ipsum illum contemptum quo talis se mulctat non esse peccatum proprie sed detrimentum.* regerit 1. *Nemini licitum esse se ipsum mulctare contemptu*, Prov. 22. 1. Eccl. 7. 1. *nisi majoris & necessarii boni causa id fiat.* Resp. licebit ergo hoc facere majoris boni causa, & per consequens hoc in se peccatum non est. de illo enim verum est illud Apostoli: *Non sunt facienda mala ut eveniant bona.* Rom. 3. 8. ita suo se gladio jugulat vir doctus. 2. ait: *Contemptus qui alicui infertur est vel justus vel injustus, ille peccatum, hic vero effectus est peccati.* Resp. est de sese *indifferens*, cum detrimentum sit, non *peccatum*, quod vero juste vel injuste inferatur, ei per accidens accedit. Injustus porro contemptus peccatum est in *contemnite*, non in *contempto*, de quo hic agitur. alioqui Christus ipse peccator fuisset, cum *injuste* contemneretur. Iustus autem contemptus non semper est pœna peccati, sed sæpe consequens alicujus indecore gesti, etiam sine peccato. nisi ludas in voce *justi*, quasi talis contemptus sit actus justitiæ quod ridiculum est. 3. ait: *Detrimentum citra causam idoneam*
sibi

sibi ipsi inferre nemini licet. idque probat. Resp. licebit ergo hoc propter causam idoneam. & per consequens non est in se peccatum. nam nulla idonea causa est peccandi. sic rursus auctor sua vineeta cædit.

Tertium quod observabam erat, *Aliud esse virum dignitatem quam præ muliere habet abjicere, quod injurium esset in legem divinam, aliud symbolum aliquod ejus negligere, quod sine peccato fieri potest. neque ab uno ad alterum argumentandum esse docui exemplo simili ex ipso Borstio: mulieres videlicet magnatum non paucas viris manum dexteram claudere, nec tamen inde argumentari licere ad πορνεύματα &c.* vide locum. Tam perspicuam doctrinam objecto-fumo nonnullarum distinctionum vir doctus conatur obscurare, idque tam breviter ac tumultuarie, ut quid sibi velit plerunque non exprimat, sed divinandum relinquat. videamus tamen an medullam aliquam extundere possimus ex his ossibus. Primo ait: *Oratio rhetorica distinguenda est à logica.* vult, ni fallor, qui symbolum negligit, rem ipsam negligere, non logice sed rhetorice. Quod quid ad rem faciat, ubi non rhetorismi sed solidæ demonstrationes quærentur, alii judicent. hoc video, quicquid id est, tam locum habere in exemplo Borstii, quam in eo de quo disputatur.

tur. ut consideranti patebit. itaque perstat
 meum argumentum. Secunda distinctio
 est, quod abjiciat dignitatem *interpretati-
 ve & ratione operis sui*, licet (ut postea id
 explicat) non *formaliter* qui signum ejus
citra causam & quando non debet negligit.
 Resp. non ergo eam abjicit si id *ob causam*
& quando debet facit. Hinc sequitur, negle-
 ctum illius signi non esse peccatum *per se*,
 nam illius perpetradi *causa* nulla est, multo
 minus id perpetrare quis *debet*. porro hæc
 valent etiam in exemplo Borstii, nam vir
 qui mulieri lævam claudit sine causa, &
 quando non debet (quæso vir doctus nos
 doceat, quando vir hoc *debeat*) & ipse *in-
 terpretative & ratione operis sui* (ut loqui
 amat vir doctus) prærogativam virilem
 mulieri cedit. licet id non faciat formali-
 ter. itaque & hic perstat meum argumen-
 tum. Tertia distinctio est inter signa *natu-
 ralia & arbitraria*. vult dicere, ut opinor,
 comam detonsam esse signum *naturale*
 prærogativæ virilis, manum autem dexte-
 ram signum *arbitrarium*. ideo illic valere
 argumentum à signo ad rem signatam, hic
 vero non. Resp. Prius membrum viro
 docto probandum incumbit. Est autem
 falsissimum, nam si pilus eo quo dictum
 est modo sit signum naturale, sequetur
 omnes tonsos in uxores suas imperium ob-
 tinere, omnes vero comatos eis parere. si
 dicat

dicat auctor, capillos esse *res naturales*, dicam & ego, manum dexteram & sinistram esse *res naturales*. sed nihil hoc ad rationem signi.

Thesi XIII. monueram, *maxime hoc quod dictum est observandum, ubi symbolum aliquod in usu non est, atque adeo symbolum esse desit* V g. dicit Borstius, *tegmen capitis esse signum subjectionis. si hoc perpetuum & universale est, sequitur viro nunquam recto capite coram uxore esse licere, ne videatur ei subiectus, at nunc symbolum hoc prorsus in contrarium mutavit* &c. v. locum. Hic vir doctus quartam distinctionem comminiscitur, nempe inter signa *per se & per accidens*. antea quaerebat quid esset *peccatum in se*, quod tamen omnes sciunt, nunc mihi liceret quaerere quid sit *signum per se*. nisi id ipse exponeret, cum addit *signa naturalia & arbitraria*. ita ut distinctio hæc coincidat cum superiori. quæ ergo ibi dicta sunt, hic repetantur. Adjicit quintam distinctionem *in finem operis & operantis*. sensus est, ut ipse explicat, *qui negligit sine causa &c. signum naturale, rem ipsam abjicit, licet hoc non intendat, & licet in usu non sit, aliter autem se habet in signis arbitrariis*. Resp. Hæc præsupponunt capillum detonsum esse *signum naturale* potestatis virilis, quod ante refutatum est. pervehim autem scire à viro docto,

docto, ubi & quando *signa naturalia non sint in usu*. V. g. respiratio est signum naturale vitæ. estne locus ubi respiratio inter homines vivos non est in usu? nihil unquam legi *φαιτασιχώτερον*. Denique quæro, an quod de signis arbitrariis dicis, nempe non esse culpæ affinem qui ea negligit, quando non amplius sunt in usu, intelligas etiam de iis quæ *arbitrio divino* constituta sunt? nam ea certe non naturalia, sed arbitraria sunt. si affirmas, sequitur citra culpam negligi posse signa sacramentalia, sicubi in usu esse desierunt. si negas, distinctionem tuam in coenum proturbas, nam tegmen capitis *præcepto divino* esse signum subjectionis, detectum autem imperii putat Borstius, atque ipse tu. itaque viro non licebit id negligere aut invertere, quicquid tandem usus ferat. atque ita invicta etiam perstat à tuis distinctionibus hæc mea observatio.

Sed telum hoc, quod avertere non potuit, in me retorquet, ut saltem hic pares simus. audiamus: *Si tempore Apostoli inter Corinthios symbolum imperii virilis erat caput integumento liberum, (ut auctor hic dicit Disp 3. Thef. 11.) viris saltem Corinthiæcis tunc coram uxoribus tecto nunquam licebat esse capite.* Resp. sequeretur hoc, si ego hic mera præcepta divina, quod vos facitis, imaginarer, illa enim nunquam li-

cet

cet transgredi; at in ecclesiasticis constitutionibus, ordinis tantum causa sancitis, hoc non sequitur, ex enim tantum obligant in casu scandali & contemptus.

Adjeci, nunc symbolum hoc (subjectio- nis) in contrarium mutasse, ut vere *ἀνύλα* futura sit viro, si capite detecto coram uxore se sistat. Hoc multis impugnat. 1. vere itaque (inquit) *ἀνύλα* fuisset tempore Apostoli inter Corinthios, si maritus coram uxore se recto capite stitisset. Nam tum, ut auctor hic ait, signum virilis imperii erat caput integumento liberum.

Resp. 1. quod me dicere ait, non magis ego dixi quam Borstius, ex eo enim id citavi. 2. ad rem ipsam quod attinet, concedo eam *ἀνύλα* viro futuram fuisse, si id in cœtu populi fecisset, non autem si solus cum uxore, ubi nullum erat timendum scandalum. 2. ait: Vere erit *ἀνύλα* viro, si se sistat coram uxore capite non comato. Nam eadem ratio est, ut docet Apostolus, velaminis naturalis & artificialis.

Resp. Si hoc verum est, sequetur illicitum esse viro pileum gerere, quia ei illicitum est comam muliebrem in morem capiti suo circumponere. eadem enim, inquit vir doctus, ratio est velaminis naturalis & artificialis. sed quia ipse vir doctus sine scrupulo pileum capiti imponit, eo ostendit, eandem quidem inter Corinthios horum rationem

tionem

onem tunc fuisse, sed inter nos jam non
 esse. 3. Vere, inquit, *aliqua erit, mulieri,*
se sistat coram marito suo capite naturali
ut artificiali velamine tecto. Nam virorum
& mulierum quoad velamen naturale &
artificiale plane diversam rationem debere
esse docet Apostolus. Resp. Si hoc verum
est, sequetur, mulieres hodierno tempore
detectas esse debere, quia viri tecti sunt.
 Nam virorum & mulierum quoad vela-
 men plane diversam rationem esse debere
 ait vir doctus. De Apostolo respondemus
 ut supra, hoc sensu, quod licet tunc &
 ibi fuerit plane diversa ratio, nunc tamen
 non amplius sit. alioqui quid facies mu-
 lieribus Anglicanis (quarum velamen us-
 que adeo commendat Poimenander) quæ
 pileo non minus teguntur quam viri? 4. Si
 viro vere est *aliqua si capite detecto se co-*
ram uxore sistat, quia hoc servorum est, non
dominorum, quid foret magnatibus illis, qui
licet se maritos agnoscant, tamen coram iis-
dem detecto capite se sistunt? Resp. Mag-
 nates illi hoc ritu prærogativam suam præ
 uxoribus non commendant, quod fiebat
 tempore Apostoli, sed rem prorsus contra-
 riam, nempe demissionem plerumque pure
 voluntariam (quanquam & aliæ interdum
 rationes subsunt) quomodo & matronas
 omnes *Domixas* appellant, se autem ea-
 rum *servitores* (ne tantopere ratio à *servis*
 petita

petita viro docto displiceat) profitentur, verum hæc & *verba* & *gestus honoris* sunt, quæ obligare negant. interim sunt signa quibus se ipsos videri volunt *ἀπυγῶν*, & mulieres *Ἀγ. τιμῆς ἔχειν*. 5. Multi, inquit, se coram iis detecto capite sistunt, quorum *iamen servi esse nolunt*. Resp. 1. Quod ad veros Dominos & servos attinet, certum est non servis Dominos, sed hos illis caput detegere. & hic fuit verborum meorum sensus, ut patebit inspicienti. 2. quod ad alios, mutuus plerumque est ille *honor*, de quo Paulus Rom. 12. 10. & mutua etiam *servitus*, de qua Gal. 5. 13. vel sane, mutua servitutis symbola.

Tandem addidi: *Dato, non concesso, tegumentum adhuc esse symbolum subjectionis, nihil inde sequitur ad comam, nisi sit muliebris, .i. capiti muliebrem in modum contegendo idonea*. Ad hoc vir doctus ait, non dandum mihi solum hoc esse, verum etiam concedendum, idque probatum putat præcedentibus quibusdam tam suis quam meis thesibus, quæ suo loco sunt considerata, Resp. falsissimum est, quod à me hic concedi vult, nempe tegumentum adhuc esse symbolum subjectionis. sequeretur enim Dominos servis esse subiectos, quia capite tecti sunt, servos Dominis imperare, quia capite sunt intecto. Ipse Romanus Antichristus se nemini, omnes vero
sibi

si subjectos esse, eo riru profitetur, quod
 nam nullo vel Rege vel Imperatore ca-
 ut detegat. ita enim habetur Cærem. Ro.
 eccles. l. 3. sect. 1. c. 2. *Romanus pontifex
 omni omnino mortalium reverentiam fa-
 t, assurgendo manifeste, aut CAPVT in-
 inando aut DETEGENDO.* Si viro do-
 to credimus, facit illud in signum maxi-
 mæ humilitatis & subjectionis. Denique
 non sufficere inquit, *comam, ut virilis sit,
 non esse idoneam regendo capiti, sed notabi-
 ter ab ea longitudine, qua velando capiti
 idonea est, recedere debere.* quæ ipsissima
 nea sententia est, idque scire potuit vir
 doctus ex Disp. mea i v. thes. lll. circa
 inem. quod ergo hic deest, inde facile ei
 fuit supplere.

CAPVT VIII. & Epilogus
 operis.

A Sserta veritate quinque priorum
 Disputationum, de comâ virili, ad
 sextæ quoque, quæ de muliebri a-
 git, me defensionem accingebam. Verum
 sequente viti docti Disputatione in manus
 sumta, illam à me declinare, & in alio
 oppugnando occupatam esse animadverti,
 ut & ultimam quæ illi succedit. Quod me
 permovit ut crederem, virum doctum in
 hac

hac controversiæ parte mecum sentire, nec
 adversus comonstratam à nobis, & ab
 ipso agnitam veritatem arma velle sumere.
 Subierat jam ejus rei suspicio, cum in vesti-
 bulo Quæstionum suarum textualium,
 ubi controversiæ statum format, solius
 comæ virilis mentionem faceret. Auxit
 spem tanti boni observatus mihi postmo-
 dum locus clariss. ejus Collegæ, De Excell.
 mundi ad VII. præc. Disp. v. part. III.
 thes. III. problem. VI. ubi quærens: *An
 feminis necessarium sit velamen capitis, quo
 capillos tegant, idque ab Apostolo prescriba-
 tur. I. Cor. XI?* respondet: DISQUIRI
 PERMITTIMUS. Disquisivit hoc (nisi
 me animus fallit) vir doctus, & rationes
 deprehendit, cur hac parte integra nobis
 relicta, Poimenandro aliisque in ea oppug-
 nanda subsidiariam operam non præstaret.
 Dimidium ergo causæ nobis traditur sine
 sanguine & sudore, qui splendidissimus in-
 victæ veritatis triumphus est. Faxit Deus,
 ut eâ, & Christianâ libertate salvâ, li-
 centiâ autem carnali procul facessere
 jussâ, concordibus animis, &
 conjunctis operis ecclesiam
 ejus ædificemus.

A M E N.

SEQUUN-

SEQUUNTUR

*Disputationes nostræ de Comâ,
quas superiori tractatu ab ex-
ceptionibus viri docti
vindicavimus.*

Disputationum Theologicarum
Centesima-quinta,

DE

COMA,

PRIMA.

THESIS I.

Cum septimo præcepto non solum adulteria, & id genus turpitudines prohibeantur, verum etiam facta, gestus, sermones, cogitationes fœdæ, & quicquid hominem ad ista allicit, quin inter illa capillitii abusus quoque mereatur numerari, non est dubitandum.

II.

Verum orta est non ita pridem contro-
versia,

versia, An coma virilis prolixior quam ad cranium contegendum requiratur, item pars comæ muliebris juxta genas dependens, per se & sua natura sit illicita? è qua quæstione & aliæ nonnullæ sobolescunt, ut suo loco videbitur.

III.

Hæc controversia, licet levior videri possit quam ut quenquam detinere debeat, postquam tamen mota est, non est negligenda. Si enim vera est pars affirmans, habent qui eam tuentur pro se dictum Christi Matth. 5. 19. *Quisquis solverit unum ex mandatis hisce minimus & ita docuerit homines, habebitur minimus in regno cælorum.* item, Nullum peccatum esse veniale propter parvitatem rei (quod censent pontificij) sed omnia vel minima mereri mortem æternam. Rom. 6. 23. Sin falsa, habent qui eam oppugnant pro se omnia scriptura loca, quæ Christianam libertatem commendant, mandata hominum elevat, errorum iniitiis occurrendum monent antequam invalescant, & alios ex aliis post se trahant &c. 1. Cor. 10. 29. Gal. 5. 1. Matth. 15. 9. Gal. 5. 9. &c.

IV.

Tota hujus quæsitæ decisio, nostro iudicio, pendet è sensu dicti Paulini 1. Cor. 11. 14. 15. *Annon natura quidem ipsa hoc vos docet, quod viro quidem comatum esse dedecore*

cori sit? Nam coma pro velamine data est ei.
 Hic locus (ait qui sub nomine Poimenan-
 dri scripsit de Coma Absolonis) funda-
 mentalis est in hac controversia, & veluti
 cardo in quo tota hæc disputatio volvitur
 pag. 41. Nos idem sentimus. itaque eum
 consideremus.

V.

Licet enim ejus verba Poimenander ibi-
 dem ita clara esse pronunciat, *acsi solis ra-*
dio scripta essent, nihilominus explicatio-
 nes penè singularum vocum, tum apud
 ipsum, tum apud alios ita variant, ut non-
 nisi attentissimo examine quæ legitima,
 quæ adulterina sit dijudicari possit. præci-
 pue quæritur, quid apud Apostolum sit
natura? quid *comatum esse?* quid *dedecus?*
 hisce evolutis reliqua faciliora erunt.

VI.

Inter significationes vocabuli NATVRA
 apud Paulum, prima adducitur, quæ per
 eam LEGEM NATVRÆ ait denotari. ita
 Poim. p. 42. 48. 49. 52. 53. 56. 58. 76. 100. 115.
 149. 157. 162. 177. 185. 186. 188. 190. ideoque,
 virum comam submitte, esse *contra legem*
natura. ibid. passim. *contra, supra, vel præ-*
ter naturalem usum. p. 337. quemadmo-
 dum scelera ista quæ recensentur Rom. 1.
 26. 27. p. 157. licet (quod alibi additur) *gra-*
du dispari. esse *contra natura ordinem,*
quem tamen & bestia observent. Borst.

L

Conc.

Conc. de comâ p. 59. *Habere* tales comas *intrinsecam malitiam* (quod alicunde citat auctor Dialogi de Coma p. 13.) Neque solas comas hæc censura ferit, verum & *barbam radere, & ungues alere*, eidem naturæ legi repugnare ait Poim. p. 118. 194. 345.

VII.

Hoc interpretamentum ut passim inculcatum, ita nusquam solide probatum invenimus. Neque enim sequitur 1. si alicubi Natura significet naturæ LEGEM, (demonstramus hoc) ideo & hic eam denotare. neque 2. quæcunque quoquomodo *contra, vel præter naturam aut naturalem usum* alicujus rei fiunt, *contra LEGEM* facta esse, ideoque *illicita*. Ita enim *illicitum* erit ignem extinguere, cum excitatum est incendium, quia id *contra naturam* ignis est, quam destruit. *Illicitum* erit aquam in sublime propellere, ad usum civium, aut conservationem agrorum, id enim est *contra naturam* aquæ, quæ est defluere in declive. *Illicitum* erit medicorum filiis veneno uti in antidotis conficiendis, id enim est *contra naturam* veneni, quæ est perdere, non mederi. *Illicitum* erit (quod quidam è veteribus Christianis arbitrati sunt) corollam in capite gestare, quia *natura* florum est, non crines, sed nares oblectare. Imo, quod cominus ferit adversarium, *illicitum* erit mulieri comam in verticem attol-

attollere & religare, id enim est *contra naturam* comæ, quæ naturaliter descendit, ut corpus grave. Diogenes *præternaturam* esse putabat vasculo aquam haurire, cum id cava manu posset, & hoc ergo cuiquam scrupulum movebit. à rebus ad dictiones id mali procedet. vix enim quis tria verba profari audebit, ne à propria ac *nativa* eorum significatione & usu discedat, quod fit in tropis & figuris. & quid tandem vel minimum fieri poterit, in quo non usus aliquis naturæ inversus videatur? Denique (ne nimium nos hic diffundamus) Deus ipse suo exemplo docuit, & licere, & expedire sæpenumero, ut ordo naturæ ad utilem aliquem in vita finem invertatur. Si enim elementa reliquisset in ordine ac situ suo naturali, aqua terram totam adhuc operiret, & nec stirpes, nec pecudes, nec homines usquam essent. ideo illum ordinem mutavit. v. Gen. 1.2.9. Nota obiter, quam imprudenter Poim. etiam quæ *supra naturam* sunt *illicitis* annumeret, quod in ipsum Deum injurium est, quem solum supra naturam operari constat.

VIII.

Inconsequentiam à NATURA ad LEGEM NATURÆ demonstravimus, nunc, an lex naturæ hic locum habere possit, videamus. quod ut rite fiat, quid ea sit primo est explicandum. In eo autem Jurisconsulti &

theologi discrepant, saltem quoad modum loquendi. Illi enim *jus naturale* vocant, quod est homini commune cum brutis, ut conjunctio maris & feminae, liberorum procreatio & educatio. v. Instit. lib. 1. tit. 2. §. 1. ff. de Justitia & Jure. Hæc acceptio impropria est, neque enim lege, sed instinctu moventur bestia, quod autem ordo aliquis appareat in earum actionibus, non ab ipsis, sed à suprema Mente est, quæ eas dirigit ad bonum universi. Hinc nec virtutes morales brutis univoce conveniunt, sed umbræ quædam earum ac similitudines, à quibus nonnunquam monita ducuntur, ad veras virtutes exercendas, ut gratitudinem. Jes. 1. 3. conversionem. Jer. 8. 7. prudentiam, ac simplicitatem. Matth. 10. 16. nusquam tamen ad comam ponendam. unde qui exemplum bestiarum hic adduxit, nihil quod pro se faceret adduxit, etiam admissa definitione J. C. torum. nam tonsura homini cum brutis communis non est.

I X.

Theologi aliter definiunt. Legem enim naturæ, seu jus naturale vocant, quod ratione naturæ *rationalis* omnibus hominibus inter se commune est. v. Rom. 1. 32. & 2. 1. 14. 15. ubi *jus illud Dei* appellatur, & omnium hominum *cordibus inscriptum* esse dicitur, juxta quod & se ipsos, & se mutuo *accusant vel excusant.* &c. continet autem principia

principia practica de *licito* & *illicito*, vel secundum legem æternam & immutabilem, vel secundum derivatas ab ea ex libera Dei voluntate. de quibus alibi. secundum hæc, negamus comæ attonfionem esse de lege naturæ. etenim:

X.

Quæ sunt legis naturæ, ea ab Adamo servata sunt in statu integritatis. At Adamum tum comam attondille, nulla probabilitate nititur, cum nec ferramenta adhuc reperta essent, sed multo post. v. Gen. 4.22. itaque non est hoc legis naturæ.

XI.

Quæ sunt legis naturæ, ea propter necessitatem corporalem transgredi non licet. At præceptum de attondenda coma, secundum adversarios, licet transgredi, *propter varietatem complexionum*. Poim. p. 337. *propter imbecillitatem*. p. 340. 349. 364. *propter ludum*. Borst. p. 33. 50. ergo id non est de lege naturæ.

XII.

Negamus præcipue, comam in viris prolixam *habere intrinsecam malitiam*. prout illa phrasis à Theologis usurpatur. iis enim idem est habere aliquid *intrinsecam* & habere *inseparabilem* malitiam. talem, inquam, quam nec Deus ab eo separare possit, cum sit contra legem æternam absolute. unde nec illud jubere potest Deus. ejus-

modi malum est, *odisse Deum, blasphemare Deum.* ut accurate demonstravimus Disp. 34. At ejusmodi malum non est submittere crinem, id enim in quodam casu DEVS JVSIT. puta in Nazaræis. Num. 6. 5. fatente (quî enim negare posset?) Poimenandro p. 168. 242. 296. ergo id *intrinsecam malitiam* non habet. Hactenus prima significatio vocis NATURA.

Disputationum Theologicarum
Centesima-sexta,

D E

C O M A,
SECUNDA.

THESIS I.

Pergamus ad alias interpretationes vocis NATURÆ in textu Paulino. Secunda ergo dicit eam significare JUS GENTIUM. ita Poimen. p. 22. 53. 68. 117. 122. 123. hinc capillos demetere ait esse juris gentium, eos autem demittere juris gentium non esse, quia & gentiles & Christiani in eo variarunt, &c. expendamus hæc nonnihil.

II.

Jus gentium, secundum JC tos, est,
quod

quod solis hominibus inter se commune est, ut religio erga Deum, obsequium erga patriam & parentes. Et hoc jure dicunt introducta esse bella, servitutes, divisiones agrorum, dominia, contractus. Instit. quo sup. sed secundum theologos, dico:

III.

Hac explicatione priorem non excludi, sed ei aliquid superaddi. notant enim, naturam rationalem dupliciter spectari posse. 1. secundum se, & absolute, 2. quatenus degit in communi societate & communi vivendi consuetudine. Igitur jus naturale (quod aliqui vocant primævum) convenit naturæ rationali secundum se considerata. Jus gentium (quod vocant secundarium) convenit eidem naturæ in societate & republica civili constitutæ. ac definitur, quod ex consensu populorum, illis omnibus, aut fere omnibus, commune est. v. Thom. 2. 2æ. q. 57. art. 3. Soto lib. 3. de justit. & jure. q. 1. art. 3. Becan. Theol. schol. part. 2. tract. 3. c. 3. & plures alios. quibus convenit Covarruvias in regula: *Peccatum*. p. 2. §. II. num. 4. nunc ad quæstionem propositam.

IV.

Qui in verbis Pauli Naturam JVS GENTIVM esse credi vult, ei duo probanda incumbunt: primo, eam significare JVS. deinde, tale jus quod ex consensu GEN-

L 4

TIVM

TIVM eis omnibus, aut fere omnibus commune est. prius ad superiorem explicationem excussimus. alterum restat. Probet ergo qui tam confidenter pronunciat, apud omnes aut plerasque gentes lege cautum fuisse, nequis vir comam promittat, nequa mulier ejus partem solutam gestet. hoc ita falsum est, ut ipse Poim. passim profiteatur gentes hac in re ita variasse, ut ex earum moribus ac institutis nihil certi haberi possit. Hanc salebram ut evadat, jus hoc in animis suis eas oblitterasse dicit. at nondum probavit habuisse. respondet, sufficere sibi testimonium Pauli. at Paulus hoc non dicit. N A T V R A M nominat, J V S G E N T I V M non nominat. si hæc idem esse respondet, principium manifeste petet. 2. Capillos *promittere* non esse J V R I S G E N T I V M, facile damus, qui de eo nullam communem legem latam esse, nec ferri debere contendimus, sed neque eos *demitere* juris gentium esse adversarius concedere adigitur, vi sui argumenti. si enim varius gentium usus facit ut nihil concludi possit pro longo capillitio, eadem varietas faciet ut nihil concludi possit pro brevi. 3. jocularis est hujus auctoris ἀβλημία circa negotium quod tractat. Quia enim Plinius l. 7. c. 59. gentes tandem communiter consensisse ait in literas, nominatim Ionicas, tonsores, & horologia, hinc non tantum

tantum tonsores, verum & horologia à jure gentium profecta esse, ridicule concludit. p. 123. unde sequitur, qui horologium non habet, nec literis Ionicis utitur, cum JVS GENTIVM violare.

V.

Succedat tertia acceptio, qua NATVRA dicitur significare Statutum à Deo ordinem, quo mulieri comæ densæ & prolixæ suppeditantur, viro non item. vel, naturæ opus, quo viri ac mulieris capita ita discernuntur, ut hujus sit aptissimum ad nutriendam comam, illius vero prorsus sit ineptum. In hanc sententiam citantur Musculus, Hyperius, Paræus, alii. eandem habet Poimenand. p. 161. 282. 283. 333. Borst. p. 30. 75. Dematius Disp. 1. thes. 2. qui eam probabilem putat, ac ab exceptionibus vindicat Disput. 3. thes. 1. 2. 3. 4. oppugnatur autem, ab auctore Dialogi de coma p. 53. 97. & Schulio Consil. part. 1. p. 12. part. 2. p. 86.

VI.

Significationem hanc hic locum non habere ita demonstramus: Natura de qua Apostolus agit *docet Corinthios* in communi, idque tam evidenter, ut ipsi hoc negare non possint. quo spectat interrogatio Apostoli, tanquam ad ipsorum conscientiam provocantis: *Annon*, &c. ut recte observatum Borstio p. 35. *At hic ordo Co-*

L 5

rinthios

tinthios aut nihil, aut perobscure, & paucos eorum, si forte, docet: ergo hic ordo non intelligitur per vocem naturæ. Minorem probo: Natura in hac significatione sumpta, *docere* dicitur, prout est res quædam ex cujus contemplatione cognitionem haurimus (verba sunt Dematij Disp. 2. thes. 1.) At hic ordo (respectu, inquam, Corinthiorum) non est talis res. ergo. prob. minor: vel enim cognitionem hauriunt ex contemplatione ejus ordinis, quatenus Deus eum instituit, & hoc non, neque enim eis datum erat penetrare in secreta Dei, vel ex contemplatione causarum secundarum, & hoc non, quia nec philosophi, nec anatomici &c. etant ij ad quos Paulus scribebat, sed homines maxima ex parte indocti & idiotæ. 1. Cor. 1. 26. vel effecto externo: & hoc non, quia comam virilem *tonsura* breviorum fieri in oculos eorum incurrebat, at eam *natura* fore breviorum si sineretur crescere, videre non poterant, quia id inter ipsos non erat usitatum. Non ergo hæc significatio NATURÆ de qua Paulus agit esse potest.

VII.

Ex hac observatione patet, quicquid de temperamento viri ac femine, de genio soli ac cæli, de pilis congenitis & postgenitis, de bestiis, de arboribus, ex Aristotele, Alberto, Cardano, Tardino, Æmylio
Pari;

Parisiensi, aliisque philosophis, medicis, geographis tam fervide tamque operose in utramque hic partem ventilantur, prorsus à scopo Pauli, à captu Corinthiorum, & à toto hoc negotio alienum esse. Atque ita per eam, veluti acutissimam novaculam, non capita hominum, sed controversiam hanc immani ac superfluo onere liberari.

VIII.

Quarto, per NATVRAM quidam à Paulo indicari arbitrantur NATVRALEM INCLINATIONEM. .i. animi propensionem quæ inest mulieribus ad nutriendam comam. pro hac opinione citantur Thomas, Lyranus, Estius, eandem habet Poimen. p. 282. Dematius Disp. 1. thes. 2. qui eam probabilitate non carere statuit Disput. 3. thes. 5. impugnatur ab auctore dialogi. p. 64. cujus rationes citantur à Dematio quo sup. Nos quod attinet,

IX.

Quemadmodum Borstius non patitur naturam accipi pro *Consuetudine*, nisi probetur consuetudinem *ex natura* ortum habere, ut mox videbimus, ita nec naturam pro *inclinatione* accipi permittemus, nisi demonstretur inclinationem illam à *natura* esse. Respondebunt enim Corinthii, se videre quidem in mulieribus inclinationem ad nutriendam comam, at eam à

consuetudine & aliarum mulierum exemplo esse posse. quemadmodum ad hanc vel illam vestis formam inclinantur homines, quamdiu eam in usu esse vident, postea eam abjecturi. Et viros quoque inclinari ad alendam comam, ubicunque id usitatum est, testabitur Rev. D. Iunius Pastor Delphensis, qui in insula cui Formosa nomen est non nisi magno molimine ad muliebrem comam ponendam viros adducere potuit. *Inclinationem* ergo illam magis *naturalem* esse feminis quam viris
NON LIQVET.

Disputationum Theologicarum
Centesima-septima,

D E

C O M M A,
TERTIA.

T H E S I S I.

Quinto, per NATVRAM sunt qui intelligi velint *consuetudinem*. hæc sententia tribuitur Calvino, qui in hunc locum scribens, *quod omnium* (inquit) *consensu & consuetudine receptum erat.* *Et quidem*

quidem apud Græcos, vocat naturale. & similia habet Salmero. Hæc explicatio refutatur à Dematio Disp. 1. thes. 5. 7. 8. 9. 1. quia nusquam apud auctores græcos vox $\phi\upsilon\sigma\epsilon\omega\varsigma$ pro consuetudine reperitur sine termino diminvente, qualis est in illo dicto: Consuetudo est *altera* natura. nam quod ait auctor Dialogi de comâ p. 69, cum optimi scriptores $\pi\acute{\epsilon}\phi\upsilon\kappa\epsilon$ pro *solet* usurparint, $\phi\upsilon\sigma\mu$ etiam pro *consuetudine* poni posse, respondet Demat. Disp. 3. thes. 7. ex ipso illo dialogo p. 70. multa in loquendi usu deprehendi, ubi verbum usitatum est, verbale non item: & contra. 2. quia non nisi infirmum ducitur argumentum à consuetudine, præsertim promiscuæ multitudinis, nisi (quod addit Borst.) consuetudo illa à natura ortum habere statuatur. quo additamento sententiam Calvinii mitigat. p. 75.

II.

Qui $\phi\upsilon\sigma\mu$ consuetudinem notare dicunt, tenentur ad ejus rei probationem. quæ cum non adferatur (nam à Suida prolatum exemplum alienum est, ut recte Demat. Disp. 1. th. 7.) merito putamus hanc significationem imbrobari. quod & facit auctor Dialogi p. 71. 2. interim à consuetudine *non nisi infirmum argumentum peti*, non concedimus. nam Paulus ipse ab ea argumentum petit v. 16. quod enim additur de

pra-

promiscua multitudine, respondebitur, non esse in textu, ideo nihil ad rem facere. 3. quomodo se hinc evolvat Poimenand. rationem inire non possum. is enim *firmam consuetudinem & communem consensum jus gentium esse* ait p. 155. unde & usum horologiorum eo refert. ut ante vidimus. tale ergo, è positis ab illo, argumentum struimus: Jus gentium est natura ille de qua Paulus agit: Consuetudo est jus gentium: ergo consuetudo est natura illa de qua Paulus agit. utraque præmissa est Poimenandri. unde quo pacto conclusionem negare possit, ipse viderit.

III.

Sexto, per NATVRAM significari quidam putant *honestatem & decentiam naturalem*. ita Cornelius à Lapide. in quam sententiam & adducitur Alex. Halens. part. 2. q. 152. membro 2. à Dematio Disp. 1. thes. 5 qui Disp. 3. th. 7. se de ea significatione sub finem primæ Disp. egisse ait. quale tamen nihil ibi reperire potui.

IV.

Adversus hanc interpretationem ita ratiocinamur: *Honestas illa naturalis docet Corinthios*, vel prout *honestas*, vel prout *naturalis* est. non primum, quia idem per idem *doceretur*. i. per honestatem doceretur quid honestum sit. non alterum, quia idem per idem explicaretur, utpote *natura*
per

per *naturale*, quæ eodem recidunt, aut certe æque obscura sunt.

V.

Septimo, accumulatur tres aliæ significationes à Borstio p. 30. per quas docere vult, NATVRAM hic quoque in *propria* sua significatione accipiendam esse. ait enim ea in s. literis designari 1. *Nativitatem*. Rom. 2. 27. & II, 24. Gal. 2, 15. Eph. 2. 3. 2. *essentiam*, per quam res est idquod est. Gal, 4. 8. 3. *qualitates*. 2. Pet. 1. 4. de quibus hæc consideranda:

VI.

1. Vel Borstius per naturam hoc loco ista omnia significari vult, vel ex iis aliquid, vel nihil. si *omnia*, non potest, quia sunt disparatæ res, *nativitas, essentia, qualitates*. si *aliquid*, quidnam illud sit specificandam erat. si *nihil*, frustra ex significationes sunt allatæ. 2. Nec verum est has omnes esse acceptiones proprias. quia 1. *nativitas* proprie natura non est, sed via ad eam. quod non ignoravit Aristot. I. 2. de naturali Auditu. ἔστι ἡ φύσις ἢ λεγομένη αἰς γενεῖς, ἐστὶν ὁδὸς εἰς τὴν φύσιν. nec eam Paulus hic intelligere potest, quia à nativitate æque calvi sunt mas & femina. nec 2. *qualitates*, præsertim divinæ, prout eas in hominibus ponit Petrus, sunt eorū natura *proprie* dicta: alioqui qui eas habent naturâ Dii essent. nec 3. *essentia* per quam res est id quod

quod est hic ad rem quicquam facit, quia
essentia maris aut feminae non consistit in
coma, nec per eam sunt id quod sunt &c.
itaque ἀπεγοδιάνουσα sunt! quaecunque hic
adducta sunt.

VII.

Octavo, NATURA apud Paulum esse sta-
tuitur, *recta rationis iudicium, ex instinctu
natura fluens, quod vulgo sensus communis
nomine appellatur.* In hanc sententiam ci-
tantur Dionys. Carthus. Martyr, Iuellus,
Piscator. defendunt eam Poim. p. 159. 346.
Demat. Disp. 1. th. 3. Disp. 3. th. 6. Borst.
p. 24. qui iudicium hoc explicat per scintil-
las & reliquias quæ in homine à primo ejus
statu adhuc supersunt, quales sunt (præter
alia) notitia honesti ac turpis. quopactio
vox naturæ sumatur Rom. 2. 14. Iac. 3. 7.
Impugnatur ab auctore Dialogi p. 24.

VIII.

Hic in memoriam revocandum, *Natu-
ram aliquid dici docere, vel prout est res qua-
dam ex eius contemplatione cognitionem
haurimus, vel prout est actus sive operatio
quedam nostra cognitionem producens.* ut
bene distinguit Demat. Disp. 2. th. 1. in fi-
ne. ubi posteriorem modum docendi Natu-
ræ attribuit, prout significat iudicium na-
turale rationis rectæ. Hanc acceptionem
non improbamus ut falsam, sed supplemus
eius explicationem, ut minus perfectam.
Etenim

Etenim iudicium rationis rectæ quale fuit ante lapsum, & cuius adhuc igniculi in nobis supersunt, non inodo terminatur ad *honestum ac turpe* tale quale intelligit Borstius, i. ad res a Deo vel *præceptas*, vel *prohibitias*, sed & ad res phycas, artificiales, aut etiam ad prudentiam oeconomicam ac civilem spectantes. Primi specimen est Gen. 2. 19. ubi apparet Adamum singularum animantium naturas exacte notas habuisse, atque ita nomina eis consentanea & accommodata imposuisse, ut divinitus illa *ἐνοχαστοία* approbaretur. Secundi exemplum est loco quem Borst. citat ex Iac. 3. 7. ubi Apostolus ait, omnem naturam & ferarum, & volucrum, serpentumque, & marinorum domari & domitam esse à *natura* i. ratione, humana. quod certe non pertinet ad iudicium de re honesta aut turpi, sed ad scientiam & artem circa rem naturalem, corpoream, & ad corporalem usum hominis spectantem. qualis est animalium curatio. de prudentia oeconomica & civili res non minus clara est. ea enim non modo de *peccato & recte facto* præcepta tradit, sed & ea quæ vel *commodum* vel *incommodum* existimationi reive familiari aut publicæ afferre possint amplectenda aut cavenda suggerit. His ita distinctis, non sequitur: Recta ratio (sumamus ita *naturam*) dicitur Corinthiis, non esse viro alendam comam,

comam,

comam, ergo vetat id sub ratione *peccati* vel *illiciti*, cum id possit dissuadere sub ratione incommodi, quod quomodo hic locum habere possit, videbitur in seqq. peccat ergo argumentum à non distributo ad distributum, sive genere ad speciem affirmative.

IX.

Nono, ea *natura* hic designari dicitur, *que discrevit sexus*. ita auctor Dialogi. p. 96. & Borst. p. 25. lin. ult. *Intelligit igitur* (inquit) *eam naturam qua nos docet, virum & feminam à se mutuo distinctos esse.* & p. 36. *Videmus itaque, naturam humanam, per quam vir & mulier à se invicem discernuntur &c. docere &c.* hæc explicatio displicet Dematio, eo quod auctor Dialogi non indicet quid per illam naturam intelligat. Disp. 3. th. 8.

X.

Divinitus factum videri potest, ut duo hi auctores, non nimium de cætero concordēs, hic, nihil tale cogitantes in eandem delati sint sententiam. à qua ut nubecula obscuritatis, si fieri potest, abstergetur, eam ita illustrari posse judicamus: Præter significationes *Quædam* supra excussas, reliqua est hæc, qua per *naturam* intelligitur *sexus*. is autem marem à femina dividit, & discriminis inter utrumque rationem habendam esse docet. verum esse quod diximus

mus

mus de voce φύσις docet Lexicon græcolat. vetus editum à Vulcanio, una cum Glossario Philoxeni, ubi occurrit p. 656. φύσις, *sexus, natura, ingenium.* item Onomasticon græcolat. eidem Glossario adjunctum: p. 140. *Sexus, φύσις, φύτλη.* eandem significationem habet & Stephanus in Thesaurο. ubi citat exemplum è Thucyd. l. 2. ἐν λόγῳ ἐπιταφίῳ. τῆς τε γὰρ ὑπαρχούσης φύσεως (sexus sequioris) μὴ χείρασι γενέσθαι, ὑμῖν μεζάλῃ ἢ δόξῃ. addit: *memini & in quodam Sophoclis loco significationem hanc observare.* Nos, ut & nostram symbolam conferamus, insignem locum adjiciemus è Chrysoft. in Rom. 16. p. 229. edit. Savil. εἶδες γυναῖκας κληθῆναι εἰδέν ὅτι τῆ φύσεως ἐμποδιζέσασιν εἰς τὸ τὸ ἀρετὴν δρόμον; & p. seq. καὶ ἐκ ἀρχῆς) γυναῖκα συλλεπτέρην καλεῖν & γὰρ τῆ φύσιν ἀρετῆς, ἀλλὰ τὴν περὶ ἀρετῆς σεφανοῦ. hic manifestum est φύσιν pro *sexu* accipi.

XI.

Cæterum ut hanc acceptionem ad rem qua de agitur pertinere constet, ostendendum, quomodo *sexus doceat*, viro inhonestam esse comam prolixam. quod ita edisserimus: *Sexus virilis & muliebris inter se comparati docent, illum quidem ad imperium, hunc ad subjectionem natum esse, ideoque illi, non autem huic, potestatis insignia convenire.* Inter quæ cum apud Corinthios

rinthios censeretur caput integumento liberum, hinc sequi, non nisi inhonestum ILLIS esse posse, si id capillis muliebrem in morem velatum haberent. Cum vocem ILLIS interposui, *emphasin τῷ ἰμῶς*, quod est in textu, expressi. *Omnes* siquidem viros sexus docet ipsis convenire *potestatis insignia in communi: Corinthios* nominatim, *hoc insigne in specie.* propter rationem jam dictam. Sententiam hanc ita explicatam ab exceptionibus Dematii adversus auctorem Dialogi, liberam esse putamus.

Disputationum Theologicarum

Centesima-octava,

D E

C O M M A,

QUARTA.

T H E S I S I.

Habuimus sub novem titulis, undecim acceptiones unicæ vocis NATURÆ in loco Paulino I. Cor. II. 14. quarum duæ postremæ nobis maxime probantur, servato duplici sensu τῷ διδίομεν. de quo

de quo Disp. præced. thes. 8. proximum est ut excutiamus verbum *κρημῶν*. in quo & ipso explicando non levis occurrit varietas, tum ratione quantitatis comæ, tum ratione qualitatis.

II.

Quoad *quantitatem*, quidam hoc verbum accipi volunt, pro *Cemam prolixam mulierum instar nutrire. quam videlicet ferrum non attingat.* ita Beza in hunc locum Salm. epist. p. 355. Polyand. p. 24. Schulius consil. part. 2. p. 20. & seqq. Alii, pro *Comam nutrire, aut comatum esse, sive coma nunquam tondeatur, sive aliquando tonsura admittatur,* ita Demat. Disp. 1. thes. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. addit autem, è *circumstantiis colligendum, an noceat comam intonsam servare, an prolixam nutrire.* thes. 3. ratione adducta thes. 6. quia si apostolus tantum voluit significare, viro dedecori esse si intonses servet capillis, sequetur, quod quisquis prolixo est capillitio, si per intervalla satis longa ad digiti unius latitudinem capillos suos præsecuerit, dedecoris illius de quo loquitur apostolus expertus sit. *At quis credat apostolum in re tantilla discrimen dedecoris & decoris possuisse?*

III.

Addemus quid nobis videatur. Verbum *κρημῶν* natura sua nihil aliud significat quam *comam habere, vel gerere,* celebrior autem signi-

significatio est, & usu communior, ut no-
 tet, *comam longam alere*. ita interpretes
 hic verterunt (ut notatum Dematio Disp 2.
 thes. 6.) nec aliter debuerunt. Interim non
 censendum, vel *comam simpliciter* hic ve-
 titam esse, sequenter enim absurda illa
 quæ collegit auctor Dialogi p. 113. 114. vel
 etiam *simpliciter longam*, quia omnis co-
 ma in se longa est. ut recte Schul. part. 2.
 p. 23. Dico ergo, vestigia Dematii secutus,
ex circumstantiis colligendum, qualis coma,
qualisve longitudo hic intelligatur. Circum-
 stantiæ autem docent, agere Paulum de
 comâ quæ capiti pro velamento esse pos-
 sit, ut muliebris est. Agit ergo de comâ
 muliebrem referente, *quam ferrum*, ut Be-
 za ait, *non attingit.* videlicet *ordinarie, &*
notabiliter. Nam, *Si mulier* (ut argumen-
 tum hoc Dematij retorqueamus) *quæ pro-*
lixissimo sit capillitio, per intervalla satis
longa ad digiti unius latitudinem capillos
suos præsecuerit, non desinet capillus ejus
muliebris esse, neque decoris illius, quem mu-
liebri capillitio attribuit Paulus, expers erit.
quis enim credat Apostolum in re tantilla
decoris ac dedecoris discrimen posuisse? id er-
 go si & vit fecerit, capillus ejus nihilomi-
 nus muliebrem referet. sed discrimen ma-
 jus requiritur, nempe ut unicuique appa-
 reat, non demitti in viro capillum ad eam
 mensuram ut sit aptus capiti velando mu-
 liebrem

ebrem in modum, quod fit cum in verticem colligitur. ut perspicue demonstravit auctor Dialogi p. 73. 74.

IV.

Quo observato, liquet quid sentiendum sit de mensurâ comæ virilis a Poimenandro præscripta, ut videlicet *solum cranium tegat*: quo sine Creator veluti penicillo terminum ejus graphice delineaverit, non modo circa frontem, sed & circa aures & occipitium, qui termini à tonsoribus anguli vocentur, quia sint veluti circino & norma ab omnipotente Creatore nostro descripti, quos transire non liceat &c. itaque ad summum non licere longius descendere comam quam usque ad aures, juxta canonem concilii cujusdam, ATTONSO CAPITE, PATENTIBVS AVRIBVS. hæc habet p. 79 135. 190. 191, 198. &c.

V,

At Borstius liberalior est. Concedit enim ut coma tegat tempora & cervicem, quod illic tenuissima sint ossa, hic principium nervorum, qui per totum corpus se diffundunt, & natura sunt frigidi. ideoque de consilio præstantiam medicorum comâ hæc partes VELANDAS ESSE. p. 50.

VI.

In argumento Poimenandri insignis paralogismus est. quæ enim hæc est consequentia: Natura locum determinavit unde
capilli

capilli oriantur, ergo ii ulterius procurrere non debent? simile enim est, ac si dicam; Natura locum determinavit unde oriantur nervi, ergo ii se per totum corpus non debeat diffundere, sed ibidem ubi oriuntur amputari. Adhæc, an non & muliebres capilli ortus sui certum limitem habent? sequitur ergo, & illos abscindendos esse. quod Poimenander non concedet, nec nos concedimus.

VII.

Videat autem Borst. quomodo evadat legem horrendi carminis, quod est apud Poim. p.191. *Hosce limites (normales videlicet angulos capillorum) nobis transire non licet, alioqui contumelia afficimus & irridemus Creatorem nostrum, & repugnamus ejus sapientissima ordinationi &c.* εὐφήμεν. Deus meliora. nam ne ad momentum quidem anguli illi in sua ἀρεβεία consistunt, cum assiduo crescat capillitium. dicat ergo, Deum se ipsum deridere, nam ipsius hoc opus est.

VIII.

Denique, cum Borstius dissensus sui à Poimenandro nullam rationem afferat præter *sanitatem corporis, & consilium medicorum*, ac in eo casu nihil exigat præter *legem ædificationis* (quam & nos unice urgemus) in nostra castra transit: sed *legem* (quam ante urgebat) *natura*, in arido destituit.

dituit. eam enim vel *sanitatis*, vel etiam *a-*
lificationis causa licite violari nemo theo-
logus concesserit.

IX.

Quoad *qualitatem* dissonant sententiæ in
interpretatione verbi *κεφαλήν*. sunt enim qui
κεφαλήν interpretantur, *capillos curiosius cul-*
tos, & *κεφαλήν*, *comam more muliebri orna-*
re, & *comere*, & *in cincinnos calamistris fle-*
tere, & *vittis subnectere*. Ita non tantum
nobiliss. Salmasius Epist. de comâ p. 730.
auctor Dialogi p. 74. 75, 88. &c, sed & an-
te illum, licet diversarum sit partium, Poi-
menand. p. 42. & seq. à quo non abludit
Borst. p. 16. 17. 18. hi τὸ κεφαλήν deducunt à
κεφαλήν & *κεφαλήν* Diversum ab his sentit De-
mat. Disp. 2. th. 2. 7. 8. Disp. 3. th. 9. 10.
11. Disp. 4. th. 1. 2. qui comam tam de
capillis negligenter habitis, quam curiosi-
us cultis dici demonstrat, & quæ ad alteram
illam significationem stabiliendam addu-
cuntur refutat. allatis etiam aliis notatio-
nibus nominis *κεφαλήν*, videlicet à *κεφαλήν* vel
κεφαλήν.

X.

Dematii sententiam veram esse arbitra-
mur, maxime ex scopo Apostoli (quem &
idem diligenter considerat Disp. 2. th. 8.)
Etenim Paulus de coma differit in ordine
ad velamen capitis, de velamine autem a-
git, non prout est ornatus, sed prout est

M

sub-

subjectionis symbolum : à quo nihil alienius est quam cincinni, calamistri &c. nam de *subnexione per vittas* alia ratio est. quam ne de ea quidem hic agitur, sed de *aptitudine* ad eam, quæ in sola comæ *prolixitate* consistit.

X I.

Vnde consequitur, quicquid vel è sacris literis (puta Ies. 3. 24. 1. Tim. 2. 9. 1. Pet. 3. 3.) vel aliunde, adversus nimiam culturam capillorum, ornatum eorum ex gemmis & unionibus, crispationem, tincturam, pulveris aromatici, aut scobis aureæ insersionem, ac preciosi temporis circa talia jacturam tam copiose hic colligitur, & tam opérose declamatur, ab hac controversia prorsus removendum esse, quum de iis hic non agat apostolus, eaque omnia à coma prolixa abesse possint, & in quam plurimus absint. atque ita magna iterum mole rerum ad præsens quidem negocium inutilium disputationem hanc exoneratam damus.

Dispu-

Disputationum Theologicarum

Centesima-nona,

D E

C O M M A,

Q U I N T A.

T H E S I S I.

Consequens est ut agamus de voce
ἀτιμίας. ea in scriptura vel *peccatum*
 adsignificat, ut in eo: *πάνη ἀτιμίας*.

Roman. i. 26. vel tantum *ἀχρημοσύνη* sine
 peccato notat. ut i. Cor. 12. 23. *καὶ ἂν δὲ καὶ ἀτιμότερα εἶναι τῷ σώματι, τῶν τοῖς τιμῶν πε-
 ρισσοτέρων περιτήσεων. καὶ τὰ ἀχρήματα ἡμῶν
 ἐυχρημοσύνην περισσοτέρων ἔχει. τὰ ἢ ἐυχρήμα-
 τα ἡμῶν ἢ χρεῖαν ἔχει. ἀλλ' ὁ Θεὸς συνέχρασε
 τὸ σῶμα, τῷ ὑπερῶνι περισσοτέρων δὲς τιμῶν.*
 hic τὰ ἀτιμα explicantur per ἀχρήματα, &
 hæc per ὑπερῶντα. Et sic hoc loco etiam
 accipere videtur Demat. cum ait Disp. 2.
 th. 10. positam esse ἀτιμίαν pro eo quod
indecorum est, atque *dedecus* accersere ar-
 gum natum.

II.

Unde concludit auctor Dialogi, si ἀτι-
 μία tantum sit *indocentia*, ergo non ἀμαρ-
 τία, genus enim est indecori, quod tantum

M. 2

PECCATA

peccat contra decorem & honestatem communem, ubi aliquid fit quod non decet, aut quod ridiculum est, aut minus ei qui faciat honestum & conveniens. hic, inquit, contra decorum peccat, quia contra morem facit, qui est regula decori. & post exempla aliquot, eo quoque genere censendum ait, rem parum decoram committere, qui unus inter capillatos omnes detonsus incedit, & inter detonsos capillatus, v. p. 98. 100. 101. & confer Salmas. epist. de coma p. 549. 702. 727.

III.

Respondet Demat. Disp. 4. thes. 6. Falsum esse, quod quispiam honestatem communem possit insuper habere, qui tamen contra legem Dei non peccet. nam alioqui scripturas qua nobis precipiunt ut honestatis communis rationem habeamus, alia ab iis qua legis sunt, aut consilia quadam evangelica tradere comminisci oportebit, quod absurdum esset. hæc expendenda sunt.

IV.

Recte censuit auctor dialogi, ex voce ἀτιμίας non posse concludi ἀμαρτίας. cum ea vox etiam usurpetur ubi nulla peccati habetur ratio. ut patuit ex 1. Cor. 12. 23. neque enim Deus συνέχευσε τὸ σῶμα ex aliis membris peccato infectis, aliis vero peccato carentibus. ita enim Deus esset auctor peccati. & Christus quoque eo argumento peccator

peccator esset, quia erat ἀτιμία ἐν τῇ πα-
 τριδι αὐτῆς, καὶ ἐν τῇ οἰκίᾳ αὐτῆς. Matth. 13.
 57. Ioh. 4.44.

V.

Neque τὸ πρέπον, sive *decorum*, cui in lo-
 co Paulino ἀτιμία opponitur, ut liquet v.
 13. tantummodo est in rebus per se bonis
 & lege præceptis, verum etiam in indiffe-
 rentibus. idem ergo verum est analogice in
 ἀτιμία ei opposita.

VI.

Neque *communis honestas* (per quam
 auctor dialogi intelligit *morem* communi-
 ter receptum & approbatum circa res de se
 indifferentes) confundenda est cum jure
 divino, eo prætextu quod Deus in genere
 iusserit ejus etiam rationem haberi. eo e-
 nim argumento à fortiori omnia edicta
 prætoris essent juris divini, quia Deus in
 genere iussit *magistratibus obtemperari*.
 Rom. 13. 1. omnes canones ecclesiastici es-
 sent juris divini, quia Deus in genere iussit
præpositis obediri. Heb. 13. 17. *omnia decen-*
ter ac ordine fieri. I. Cor. 14. 40. quæ absur-
 dissima sunt.

VII.

Imo ipsi illi qui inter nos leges condunt,
 si quando *honestatis causa* se aliquid prohi-
 bere dicunt, ea ipsa adjectione se de eo le-
 gem divinam non habere profitentur. ut
 cum in legibus nonnullis matrimonialibus

M 3

pro-

prohibetur quartus gradus non solum cognationis, sed & affinitatis, diserte id additum reperitur, ut ea prohibitio à jure divino, quo gradus propinquiores sunt prohibiti, distincta esse intelligatur. v. Ord. Conjug. regionis Transisellanæ, art. 16 23.

VIII.

Non minus prudenter accipiendum quod additur de *præceptis & consiliis*. præcipiuntur enim interdum, quæ in specie tantum ad homines certi temporis aut loci spectant, licet ratio eorum communis ad omnes pertineat. e. g. Iubet Christus apostolos alios aliorum pedes lavare. Ioh. 13. 14. & apostolus Romanos c. 16. 16. se mutuo salutare osculo sancto. symbola mutui obsequii & fraternæ dilectionis in communi ad omnes pertinent, symbola autem illa, uempe osculum & pedilavium non ad omnes, sed ad eos solum apud quos ea usitata sunt.

IX.

Consilia porro, sive documenta prudentiæ in scriptura extare circa res per se indifferentes, exemplo sit Salomo Proverb. 6. 1. &c. & II. 15. ubi dehortatur ne fidejubeamus vel pro amico vel pro extraneo. non quod hoc in se sit illicitum. v. Genes. 43. 9. Philem. v. 19. sed quod damnosum, nisi cum magna circumspectione fiat.

X. Ita

X.

Ita quæcunque differit Paulus 1. Cor. 7. de muliere non tangenda, v. 1. intermissione usus conjugii. v. 5. cœlibatu & viduitate. v. 8. virginitate. v. 25. certum est esse de re indifferenti ac libera, quamque talem esse ac manere Paulus expresse vult, etiam post omnia sua monita. v. 6. 9. 25. 26. 27. 28. 35. neque proinde esse de iis QUÆ LEGIS sunt, .i. in se licita vel illicita, sed de *commodo* vel *incommodo* eorum ad quos scribatur. sive jam ea voces *consilia* (ut vocem *γνώμης* expressit vulgata) sive alio ap-
to nomine, nihil interest (ut agnoscit ad illum locum Paræus) modo ne consilia PERFECTIONIS ex iis cudamus, quæ ex sententia Dialogistæ non sequuntur.

XI.

Vidimus, ex *ἀτιμία* voce non sequi *ἀμαγρία*, nec ex ejus opposito *decoro*, sive *communi honestate*, præceptum proprie dictum. atque ita magis quid non sit *ἀτιμία* quam quid sit intelleximus. id nunc paulo penitius introspiciendum. ad quod nobis percommode facem allucet Borst. p. 20. ubi *ἀτιμίαν* esse ait *id per quod homo despicitur, & quo dignitas & aestimatio ejus imminuitur*. idque applicans rei de qua agitur, *Vir, inquit, habet dignitatem aliquam præ muliere, ideoque sexus virilis jam inde ab initio, muliebri pralatus fuit, imo divi-*

nitus vir mulieri domini instar perfectus est. Coma vero prolixa, cum sit tegmen capitis, symbolum est subjectionis & minoris dignitatis. ideo virum non decet. hæc summa est.

XII.

Explicatio hæc nobis proba, atque etiam genuina videtur. ad quam hæc observamus: 1. Potest se homo despicibilem facere etiam per id quod in se peccatum non est. ut si edat in publico, aut sine pallio in foro ambulet. 2. Ipse ille contemptus quo talis sese mulctat non est peccatum proprie, sed detrimentum. confer Disp. 107. th. 8. 3. Aliud est virum dignitatem quam præ muliere habet abjicere, quod injurium esset in legem divinam, aliud symbolum aliquod ejus negligere, quod sine peccato fieri potest. neque ab uno ad alterum licet argumentari. Probabo ex ipso Borstio: *Manum dexteram mulieri claudere virillis est prærogativæ, & contrarium morem improbat Borst. p. 22. Addit tamen, eam consuetudinem usque adeo invaluisse inter magnates, ut ab ea firma consequentia nunc non sit ducenda ad arguendam *ἡνωρηγοῦντα*. ita enim, inquit, injuria fieret mulieris piis matronis, qua reverentia & subjectione erga maritos multas alias antecellunt. applicet hoc ad præsens negocium: inveniet, ni fallor, aliquos viros comatos sui in uxores dominii tenaciores esse quam nonnullos*

los qui strictim tondent.

XIII.

4. Maxime hoc observandum, ubi symbolum aliquod in usu non est, atque adeo symbolum esse desit. v. g. dicit Borstius, *regmen capitis esse signum subjectionis*. si hoc perpetuum & universale est, sequitur viro nunquam recto capite coram uxore esse licere, ne videatur ei subiectus. at nunc symbolum hoc prorsus in contrarium mutavit, ut vere *arquiā* futura sit viro, si capite directo coram uxore se sistat. id enim hodie servorum est, non dominorum. 5. dato, non concessio, *regumentum* adhuc esse symbolum subjectionis, nihil inde sequitur ad comam, nisi sit muliebris, .i. capiti muliebrem in modum *contegendo* idonea.

Disputationum Theologicarum

Centesima-decima,

DE

C O M A,

S E X T A.

T H E S I S I.

Postquam de virili coma egimus, accedamus & ad muliebrem. De hac, sequentia

M 5

quentia

quentia sciscit Poimenander, ad quæ pau-
cis respondebimus.

II.

1. Comam prolixam mulieri honori
esse, modo maneat in capite, & cranio, quo
sine creata est, non autem tegat genas. p.
50. id enim repugnare legi naturæ. p. 51.
52. 354.

III.

2. Cum rasura comæ muliebris & ipsa
legi naturæ & juri gentium fraudem faciat,
p. 52. 53. 353. non licere à coma dependu-
la non nihil aliquando demere. p. 55. 56. 347.

IV.

3. Mulieres semper tecto capite esse de-
bere, etiam domi. p. 64. 65. quia inte-
cto eas capite esse contra legem naturæ sit.
p. 53. bis.

V.

4. Quæ partem capillorum juxta genas
demittunt, eas intecto capite incedere. p. 53.
353. ideoque maxime probandum ejusmo-
di capitis regmen, quale Maria & Marga-
rita Aultriacæ gestarunt, quod & multæ
præstantes matronæ in Anglia imitentur.
& in hoc velamenti genere persistendum
esse, sine mutatione. p. 366. ut ad hæc
respondeamus :

VI.

Ad primum dicimus, opponi ea quæ
simul consistere possunt, videlicet, operiri
caput,

caput, .i. cranium (largiamur ei hanc explanationem) maxima & longissima comæ parte, & tamen particulam ejus aliquam juxta genas dependere. ut enim (quod recte observatum nobiliff. Polyandro Consil. de comâ p. 48.) *Apostolus quo quanto ve velamine tegenda sint mulierum capita, nulla lege peculiari definit, ita neque omnem omnino comam, nullo crine excepto, in cranio religari mandat.*

VII.

Ad secundum: Rasuram comæ muliebris legi naturæ & gentium repugnare falsum est 1. quia in aliquo casu non solum permessa, sed etiam præcepta est. Deut. 21. 12. 2. quia ipsi adversarij eam concedunt in casu necessitatis corporalis. De mat. disp. 2. thes. 5. puta psoræ, aut similis incommodi. Disp. 2. thes. 3. in fine. at nulla talis necessitas legi naturæ præjudicare potest.

VIII.

Quod si ob psoram legem naturæ violare licet in re minima, quid obstat quo minus ob lepram, aut pestem, aut denique mortis metum eam liceat violare in rebus maximis? hic sane revocandum erat in memoriam dictum Christi Matth. 5. 19. *Quisquis solverit unum ex mandatis hisce minimis &c. item omne peccatum etiam minimam, atque ita omnem transgressionem legis na-*

turæ mereri mortem æternam.

IX.

Considerent ergo viri optimi ac doctissimi, qui ad tam periculosam consequentiam parum attendisse videntur, qualis censeretur mereatur assertio Borstii p. 50. ubi ait, *Mulieres quasdam propter catharros CONTRA NATURAM DEBVISSE ATTONDERI.* hoc sane nullo rectorio incrustari, nullo prætextu palliari potest.

X.

Quod ad alteram partem attinet, amputationem extremitatum in parte aliqua comæ muliebris idem esse quod rasuram, & jure gentium vetitam esse, nemini, qui vel minimum sensus communis habet facile persuadebitur. quis enim non intelligit quid sit rasura? & quis credet gentes in legibus condendis circa extremitates capillorum occupatas fuisse? confer Disp. 108. thes. 2. 3.

XI.

Ad tertium: si mulierem intacto capite esse contra jus naturæ sit, sequitur vel Evam in statu integritatis velum in capite habuisse, vel jus naturæ violasse. 2. Si id nec domi quidem facere licet, sequitur 1. mulieres nunquam calyptram debere mutare, nec comam pectere. 2. peccasse sanctas illas feminas, quæ Christi pedes capillis suis absterferunt. Luc. 7. 38. Joh. 12. 3.

quæ

quæ tamen eo nomine à Christo ibidem laudatæ sunt.

XII.

Ad quartum: Si partem aliquam capillorum detectam gerere, sit capite intecto esse, atque ita juri naturæ ac gentium derogare, verum id erit non modo de crinibus pendulis, sed vel maxime de iis quos à fronte retrorsum inflectunt mulieres, quique in omnibus fere harum regionum mulieribus conspicui sunt. Ita non in mulieres juxta genas duntaxat comatas, sed in universam mulierum sectam (ut loquitur Philosophus Madaurensis) hæc cuderetur faba.

XIII.

Ad hæc, cum p. 67. neget Poimenand. tegendam esse faciem muliebrem, *quia facies sit præcipuum speculum in quo imago Dei (quantum ad corpus) elucet, imago autem & gloria Dei operiri non debeat, teste Apostolo I. Cor. II. 7. quærendum mulieribus erit velum, non quidem Dominarum Mariæ & Margaritæ, sed tale, quod ita exacte & mathematice tegat crines, ut faciei nullam partem operiat, alioqui enim imago & gloria Dei velaretur, saltem ex parte. Hoc autem an fieri possit, & an non levissimo attractu ascendat vel descendat muliebri redimiculum, atque ita trepidæ conscientiæ continuatis vicibus vel naturæ, vel imagini Dei vim fieri suspicaturæ sint,*
con-

considerent qui ista excogitarunt.

XIV.

Non jam tangimus, quam belle, quod Paulus de *viris* dicit *oppositè ad feminas* (ut ipse textus clamat. v. 7. 8. 9. 10.) Poim. ad has quoque detorqueat. quasi Paulus vellet dicere, viros imaginem Dei gerere in capite, mulieres in facie. quo nihil ab ejus mente alienius. Intelligit enim *imaginem gloria Dei, in quo nimirum elucet Dei majestas & imperium. Est enim* (utor verbis Bezæ ad illum locum) *vir in supremo gradu collocatus in hoc mundo, & tanquam secundarius aliquis Deus (ut ita dicam) ipsius etiam mulieris respectu. Hac igitur non est imago illa ad quam condita est mulier, sed alia viro peculiaris. Plura occurrunt, sed finis faciendus est.*

XV.

Concludimus: Ut vestium] nulla certa forma Christianis præscripta est, ita nec capillorum. v. Polyand. p. 48. in utrisque tamen lex humilitatis, modestiæ, prudentiæ spiritualis, & ædificationis proximi observanda est, quam qui transgreditur, non leviter Deo displicere, conscientiam lædere, fratrem infirmum, pro quo Christus est mortuus offendere est judicandus.

F I N I S.

Judicium Facultatis Theologicae
Leydenfis

De Disputationibus de Coma

Rev. & Clariss. Viti

D, JACOBI REVII.

EXhibuit nobis vir Reverendus & Clariss.
D. Iacobus Revius S. Theol. Doctor &
Collegii Illustriss. D. D. Ordinum Regens
ex Disputationes suas antehac de Coma no-
vis non consciis à se conscriptas & disputatas
in eodem Collegio, & petiit à nobis, ut no-
strum de iis iudicium ipsi aperiremus. Quod
Eximio Dei Servo, fratri nobis conjunctissi-
mo denegare non debuimus. Bonâ itaque fide
testamur, nos Thesis ipsius lectis animad-
vertisse, illum occasione abusum qui circa
septimum præceptum committuntur, ad quod
Disputationum ordo ipsum deduxit, mentem
suam pro more Virorum Eruditorum aperire
voluisse super argumento non ita pridem in
controversiam vocato. Iudicamus etiam non
solum illum eruditè & cum iudicio de hac
materiâ egisse, sed etiam nihil in summâ rei
statuisse, quod non verbo Dei consentaneum
esse censeamus. Animadvertimus quoque ex
modo tractandi, illum in hanc curam incubu-
isse,

iſſe, ut lites ſuper iſtâ materiâ ortas, vario-
 rum qui de eâ egerunt ſententiis liberè exa-
 minatis, hac ſuâ Decifione ſopiret & exſtin-
 gueret, & partim rigorem nimium circa come-
 uſum, partim luxuriam circa ejus abuſum
 improbare, & mediam viam inſiſtere con-
 ſentaneam pietati, prudentiâ, charitati, &
 conſuetudini innoxia gentium & locorum.
 Quâ in re ut iudicium ipſius probamus, ſic
 nollemus inſtitutum illius præter mentem Au-
 ctoris hoc litigioſo ſeculo in contentionis nova
 occaſionem ad lites jam ſopitas inſtaurandas,
 trahi, quo nobis prudenter ſtudendum eſt,
 non tantum veritati conſervanda & vindi-
 canda, ſed etiam paci & tranquillitati Ec-
 cleſiæ tuenda, adeoque ea argumenta potiſſi-
 mum deligenda, quæ adificationem & pacem
 domûs Dei promovere poſſunt. De cætero De-
 um rogamus ut Rev. & CL. hunc Virum
 fratrem nobis chariſſimum bono publico diu
 ſervare velit, ut privatâ operâ, & ſcriptis
 ſuis eruditis Regno Dei inſervire magnâ cum
 laude pergat. Perſcriptum Leida XVIIII.
 Ian. Anni MDCCXLVI.

S. Theologiæ Doctores & Profefſores

Joh. Polyander à Kerckhoven,

Jacobus Triglandius.

Fridericus Spanhemius.